

DEO Adprobante!

ΘΥΜΟΘΕΩΡΙΑ

Seu de

INGENIO HUMANO

RATIO ACADEMICA,

Quam

Ad sensu Regiæ ad Auram Senatus Philosoph.

Sub Defensione

Viri Amplissimi

Dn. Mag. PETRI HAHN,

Philos. Nat. Prof. Publ. & Biblioth. Præceptoris ætatem suspiciendi.

*Ante Diem, quod bene Vertat! 28. Aprilis,
Anni à natali Christi M. DCC.*

Loco horisq; consuetis,

Disputationi publicæ exponit

CAROL. LAURBECCHIUS P. F.

A B O Æ,

Imprimebat J. O. H. Winter/
Reg. Typographus.

SERENISSIMÆ RE

SUMMÆ FI

Provinciarum

Wiburgicæ, Kymenegardensis & Castelli Novi GUBERNATORI Gravissimo,

LEGATO nuper in Muscoviam maximè Inclyto.

Illustrissimo & Generosissimo
DOMINO,

Dn. ANDREÆ

ESNDEHJELM/

Lib. Baroni de Fogelstad/

Domino de Ladewik. &c.

PATRONIS ME

VITAM PROLIXAM

GIÆ MAJESTATIS

DEI VIRIS,

Amplissimæ Diœcesios Abo-

ënsis EPISCOPO Eminentissimo,
Academiæ ad Auram PRO-CANCEL-
LARIO Permagnifico,

Consistoriique Ecclesiastici PRÆ-
SIDI Gravissimo,

Reverendissimo in CHRISTO Patri
ac DOMINO,

Dⁿ. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theol. Doct. Consum-
matissimo,

IS GRATIOSIS,

ET FELICISSIMAM!

PRæcellens Virtus, Vir Grandis, quæ
jubar amplum
Officii reddis clarius Ipse Tui;
Atque Artes Phæbi quæ Te decorantque
foventque,
Promittunt ausis fata benigna piis.
Gratia quæ toties, Charitum est monstra-
ta Cohorti,
An metuam ludis ne sit iniqua meis?
Non credo: ante Oculos idcirco has po-
nere chartas
Haud vereor, sperans respicias facie
Mansuetâ, licet hoc Seclum haud mage
munera curet
Talia. Cordicitus supplice voce pre-
cor
Dextra benigna DEi, felices proroget
annos;
Et Patriæ Grandis, Grandior usque
cluas!

Vo.

NOMINA VE

devotè

CAR.

Nominis èccè Tui, Præsul, splendore
corusco,
Paginulis lucem his quod modò
conciliem,
Da spacium veniæ, & pietatis suscipe si-
gna,
Quæ do, cum melius nil dare fata si-
nant,
Pectoris adfectu grato reminiscor ubiq;
Qui quondam in parvum splenduit us-
que Favor;
Propensus Tali chartam hanc quoq; su-
scipe quæso
Vultu, quem sensit sæpius hicce cliens.
Sic Te, Qui nutu cælum terramque gu-
bernat,
Incolumem servet conspicuumq; diu;
Sis felix semper nostri Tutela Lycæi,
Grande decus Patriæ, Dulce decusque
Domus!

vêt.

STRA GRANDIA

colens

LAURB.

JUVENI

*Natalium Splendore,
Literarum cultura & vita integritate
Commendatissimo, Nobilissimo*

Dno. CAROLO LAUR-
BECCHIO,

Magni Parentis Filio haud degeneri,
Amico & Commiliti suo æstimaissimo,



Ὀμψὰ μὲν εἰνοσιφύλλῳ Δάφνις
σέλα παρέλκει,
Φιλοπύνοις δὲ μόνις ὡς ἔργω
γίγνεται αὐτῆ.

Ἐυτυχέειν κε θέλων μέμνη ΛΑΟΥΡ-
ΒΕΚΧΙΕ μόχθων,

Πράγματ'α καὶ ποιῆς θνητῶν ἤδισσε σοφοῖσι;
Δαφνοφόρῳ καὶ τοῖς θάλλεις, βίον ἐνθά καὶ
ἐσθλὸν

κλήσῃ. Μείνε τέως σπερρῶς, τὴ καὶ αὐτῆ καὶ
Δάφνην

ἀήψῃ: Τήνδε νῦ δῶκε θεὸς χρηστοῖσι βροτῶσι
συνεργῶν.

Συγχαίρων, ἀλλὰ καὶ αὐτοχρῆ-
διάζων εὐφήμησε,

DAVID RUTH D/
S S. Theol. Prof.

JUVENIS

Natalium decore, modestiæque &
eruditionis laude Ornatissime,

Dne. CAROLE
LAURBECCHI,
Amice egregiè dilecte.



Ingeniū genium quan-
do hæc tua
cura revelat,
Ingeniū profert mille peri-
cla tui.

Interea lætæ certant, cogno-
mine, Musæ,
Tam pulchrè meritum cin-
gere fronde caput.

Occupatissimus scribeb.

TORST. RUDEEN.

Ad

Nobilissimum & Doctissimum,

Dn. CAROLUM

LAURBECCHIUM,

APELLEM INGENIORUM,



Ingenio quantum va-
leas, Doctissime
LAURBECH,

Quælibet Ingenii hic linea
ducta docet.

prolixè ex prisca
fide

JO: RUNGIUS.



Cordate Lector

SI exponendum sit, quid forte sentias, quod Materiam hanc nodosam & Subtilitatem plenam tractandam susceperim, inter alia, quæ succurrunt in præsens, præcipuum erit reor, ænigma hoc Pythagoricum, quo *Ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν*, stateram haud esse mihi transgrediendam, terrò meditaris; valdè me movet hæc tua cogitatio, cujus etiam causâ spem inter & metum pendens, quid tutius jam inceptandum sit, haud sanè exogito, & quo diutius id effatum in animo meo premo, hoc incertior fio, desistamne cæpto vel secus; Inter has tamen cogitationes ancipites constitutus, unum quod me restituit, hoc Poëtæ saltim invenio, quo *in Magnis etiam voluisse sat esse* perhibetur. Videmus totum hunc Orbem esse Gazam ditâ supellectile ad magnificentiam excultam, Res etiam in illo minimas suis præsiidiis ornatas, ut hoc in passu providentiam Naturæ admirari & amplecti non sit, censente Plinio; *Quant*
to

tò vero majora credendum in *Μικροκοσμοῦ*
esse congesta munera, quem Effector Universi-
tatis rerum visibilium Heröa formavit & Hæ-
redem? equidem tanta sunt, ut Eruditi ista
meditatione penetrare volentes, conqverantur
se tantum circa corticem hætere, quod facile
dictu est, quum in vilissimis etiam inquiren-
dis sæpenumero, Caduceum protendere neces-
se habeant; Quare si recte rem concipio, In-
geniis exquisitis Argumentum hoc, ceu à Na-
tura in interiore conditum angulo relinquen-
dum esse putaverim, sed interea C. Lect. arca-
na hæc ladi ne credas quod heic perforctoriè
depicta reperiantur, nec magis indignè feras,
quæso, operam hanc umbratilem in conspectu
Tibi adponi, quam cæteroquin opus de hoc i-
pio proditum fuerit absolutissimum, memento
hoc in Mundo, non omnia æque Nobilia &
grandia sed quædam etiam exilia deprehendi,
ob vilitatem tamen suam non sperni. Sed ut
aditum præcludam opinioni, quâ temerario
velut impetu me ad *μελετημα* hoc animum
adplicasse credis, ingenue defero indicium,
nunquam hanc Materiam arduam adtrectare
me sustinuisse, ni Superiorum ivaus ad eam
capessendam me stimulassent; quum tamen ex-
tet mihi spei vestigium, ne ad ludibrium peni-
tus institutum hoc meum recidat, qualiscunqve
me manet eventus, nutibus obtempero. Quo-
circa, quum hujusmodi sit ratio instituti præsen-
tis,

tis, convitiis excidisse me spero, quæ alloqui
ex dicto superius adhibito haud perplexè in me
dirigi possent. Cæterum inter hæc vereor, ne
crimine prolixitatis arguar, quiritare namque
mihi videris Cand. Lect. Exercitium hoc didu-
ctum esse longius iusto, quapropter tantum
efficias benevolentiaæ tuæ apud Te rogo, malue-
ris id Rei proprietati potius adscribere quam
culpæ meæ. Quod reliquum est, gratiam
hâc in re mihi præstitam, argumenti præsen-
tis nobilissimi meditatio, Tibi rependet.
VALE.

*Provida Mens Rerum, positum super om-
nia Lumen,*

*Fac constet Lumen mentibus! Inge-
nium*

*Solers quod duro Natura putamine
texit,*

*Dum scrutor Nositum, Prospera qua-
que sient!*

Inge-

Ingenium est ἔργον λόγου vel opus Ordinis
 ut autumat Plutarchus, hoc justius igitur Ordinem
 ad ejus *Tractationem* adhibemus; Cujus Lect.
 Cand, heic Tibi contemplaris exstructum

SCELETON.

I. am Πρῶ-
 τερον ἢ ἕκαστον vel
 Præliganea
 ad Ingeniū
 absolvent, quo spe-
 ctant

In hoc Tres comparent Sectiones, quarum quilibet
 Totidem constat Particulis.

II. am Κα-
 τάστασις
 Habitū-
 do Ingenii,
 quam con-
 stituunt.

III. am Vero
 Ἐπιμεινῶν vel
 succedanea
 ad Ingeniū,
 ubi Causæ
 diversitatis,
 ejus remo-
 tā, recen-
 sentur.

1. Contemplatio τοῦ ὄντος Ingenii;
 & Quæstio, Numquid illud intus
 latens signis corporeis prodatur?

2. Ventilatio Definiti, respectu
 notationis nominis, ejusdē ambi-
 gue acceptionis & equipollentiū.

3. Problema, Num in hoc statu
 Vitæ Perfectum Ingenium in hu-
 mano cætu colligi queat?

1. Expositio Definitionis, ubi
 quoque de Ingenio res est, quatenus
 primū est requisitorū ad habitum.

2. Evolutio divisionis, ubi Inge-
 nii diversæ habitudines, tam ra-
 tione Sui, quam Status vitæ,
 delineantur.

3. Inquisitio Causarum diversi-
 tatis Ingenii, quæ secreta homi-
 ni innata.

1. Ætates humanae & sexus, qua-
 tenus Temperamentum alterant.

2. Esculentia & potus, in quana-
 tum diversorum Humorū sunt
 principia.

3. Situs Locorum, ubi Cæli &
 Solis Genius ad diversa ingenia
 formanda, attenditur.

SECTIO

SECTIO PRIMA

Præliganea ad Ingenium de-
libat.

PARTICULA PRIMA

Ingenium An sit perpendit.



Vum Omnipotens

Creator, Mundum Humani ge-
neris Domicilium hoc, (α) un-
dequaque poneret Absolutissimum, ad-
eo ut meritò γεγονότων τελειότατον (β) cen-
feri queat, Sane non nisi gravi consilio
Hominem Operis sui prodigiosissimi
complementum, quoad partes ei debitas,
adeo perfectum finxit, ut illum Μικρόκοσ-
μον Epitomen mundi, & θαῦμα θαυμάσιον
(γ) jure nominaveris; Miramur pulchri-
tudinem Opificii hujus, quâ divitias sibi
concessas ostentat; Quantò magis oculos
nostros in se convertit Constitutio Ho-
minis? Cui potestas Divina tam gran-
des opes, totque sortes Ingenii largita est,
quæ sub unam velut cutem congesta esse
videntur. In minimis Myſteria magna ha-

A

bet

(α) Seno 4. Benef. c. 13. (β) Philo de mundi
Opif. p. 3. (γ) Gal. de usu part. hum. Lib. IX. c. 17.

bet recondita natura, juxta illud: ἐν πᾶσι γὰρ τοῖς Φυσικῶις ἐστὶ τι θαυμαστόν, nulla est res natura, cui non mirandum aliquod inditum est (d) dispalescit igitur dotes animorum, quæ de natura hominis nobilissima testantur, magis mirandas esse & ideo dijudicatu difficilimas, quia quo magis quid in naturalibus eminent supra commune, hoc operosior ejus manet Inquisitio.

§. II. Ingenium itaque animi nostri Thesaurum pretiosissimum consideraturi, cortice plus quam testudineo illud obductum esse, non dubitamus fateri; novimus quidem Scientias omnes ex Ingenio, velut ex fonte quodam effundi, verum quid per Ingenium explicatum ibimus, & quomodo radix scientiarum tutò saluari possit, egregiæ difficultatis res est; ad ultima itaque propellimur quo rem hanc subtilem, uti par est, quodammodo explanatam reddamus. Antequam tamen rem ipsam penitus indagandam ordimur, in consilium adhibemus dictum Quintiliani, quo præcipitur,

Ni

(d) Arist. de part. Animal. lib. 1, c. 5.

Ni fundamentum benè jactum fuerit, quidquid superstruxeris corruet. perpendentes hoc, ne cui dubium de Existentia Ingenii subeat, magnoperè censemus, ut Quæstio An sit? hic in limine præmittatur; Requiritur ergo: An Aliquod Ingenium post lapsum residuum in homine detur?

§. III. Spinosum hoc iter est, ad quæstionem tamen propositam in primis respondemus; Res humanas habere quandam Scalæ imaginem, cujus ductu ascendimus & descendimus, sic dum homo in summo versatur felicitatis gradu, paulo momento ad imum de torque-
tur, & γὰρ μένουσιν ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις πράγμασιν αἰτῶν ἀνθρώπων τύχαι, humane namque felicitatis maxima inconstantia est; exclamat Dionysius; (ε) intendens volubilitatem istam præprimis, quæ post creatum hominem illicò, in paradiso unâ cum integritatis ejus inenarrabili jacturâ, ortum duxit. Hæc equidem volubilitas primas facultates parentum primorum vi propemodum omni spoliavit, quum te-

nues reliquæ saltim amissæ integritatis in animo hærent ; Per traducem Hoc Malum, in omnium posterorum capita dirivatum est; (c) quod si verum sit, haud dubitem quemquam tam trucis ingenii, quin & ad sensu excipiat sententiã, quã singulari divinæ mentis Clementiã ruderã imaginis suæ, per lapsum hunc infelicem in nobis deletã, confortante, Inclinationes ad scientias, vel *Habitus* quosdam, mentibus nostris implantatos esse, statuimus; qui ut *νοῦναι ἐννοιαί*, *su-*
scitabula scientiarum nuncupantur, ita si studio & Disciplinis ampliati fuerint, prout illis vis à natura inest, intellectum hominis multifariã cognitione perfundunt.

§. IV. Hos *Habitus* alias *Lumen Naturæ*, (?) dici notamus, Quod licet pro ipsa hominis potentiã intellectiva quandoque sumatur; sæpius tamen & rectissimè pro actu effectoque mentis ejus, revelationi supranaturali contradistincto, hoc est Naturali intellectus Ju-

(c) Rom. 5. (?) *Beat. Wanock. in disq. pract. Cap. IV. Qv. 6.*

dicio, vel *Ingenio* ut nomine proprio rem exprimamus, venditatur; dumque ita Lumen Naturæ concipimus, succenturiantes nobis habemus sacras Literas, quæ luculenter Judicium mentis nostræ, ex habitibus istis primis naturâ notis, elicatum pronunciant. (η) Ut planius de naturâ horum habituum nobis constet, divisiones eorum paucis adducamus; *In genere* Habituum alii dicuntur *Supra-naturales*, alii *Naturales*, (θ) Illos Infusos nominamus, à Mente Cœlesti, quum instillentur extraordinariè; cum objectis à speciebus infusis, alia res est: Horum alii sunt nobis *σύμφυτοι* congeniti, alii *ἐπικτητικοί*, quos disciplinâ adquirimus. Illi rursus dicuntur *Propensiones*, quatenus ex adpetitu rationali, & *Inclinationes* quatenus ab intellectu profluant, Hæ *Inclinationes* uno nomine vocantur *Ingenium*, quia cognitionem respiciunt & aptitudinem facultatum ratiocinatarum notant; ab His *Habitus* adquisitos intellectuales promanere concipimus; Quos sine dubio definit Cicero, quum

A 3

dicit

(η) *Rom. c. v. 19.* (θ) *Philos. Burg. Tract. metaph. tert. c. ult.*

dicit: *Habitus est animi & corporis commoditas, non naturâ sed studio & industriâ parta. (1)*

§. V. Hinc directa ad Quæ-
 sitionem patet responsio, vid. Ingenium
 etiam in hoc vitæ stadio homini omni-
 nò competere, consideratâ connatorum
 habituum acceptione posteriore, ubi na-
 turalem inclinationem vel aptitudinem
 facultatum percipiendi rationalium, ad-
 vertimus. Ratio prima conclusionis est,
 quod homo hac aptitudine præditus,
 Ingeniosus & habilis dicitur, proxima
 huic ex *Vi* inclinationum vel Luminis
 Naturæ, nobis suppetit, patescit enim
 ad oculum, Aristotelem aliosque Philo-
 sophos gentiles, quibus Lumen revela-
 tum non constitit, præviis tantummodo
 his habitibus connatis, profundè doctos
 & Ingeniosos exstitisse; De hoc nec ad-
 commodatius dici potest, quam quod Ari-
 stoteles tradit: *Ὅσα μὲρ Φύσει ὑμῖν παρα-
 γίνεται, τὰς δυνάμεις τὰς ἴστων πρῶτον κομι-
 ζόμεθα, ὑπερὸν δὲ τὰς ἐνεργείας ἀποδιδόμεν,*
*quæcunque naturâ nobis accedunt, poten-
 tias*

(1) Lib. 1. de Invent. c. 25.

tias eorum prius adipiscimur; deinde functiones muneris exequimur. (x) ex quibus palam fit, Ingenium esse revera, quod per Inclinationes, Lumen & Habitus hocce describimus; utpote quod in certis individuis, ob dispositionem certam cerebri & temperamenti, modò perfectius modò hebetius redditur.

§.VI. Ad hæc fundamenta,

quibus doctrina de Ingenio tuto superstruitur, haud inconvenienter accedit indagatio signorum corporis, quæ peregrino advertenti latentem animum produunt; Adfirmamus igitur in membris corporis nostri indicia quædam notari, quæ ingenium in primis *Morale* intus latens, patefaciunt. Ratio est, quod summus Naturæ Δημιουργός in immenso hoc Naturæ Theatro nihil otiosi condiderit; (λ) Quum proinde lineamenta & species diversas, in humano notemus corpore & vultu, refert existimemus, tantam etiam diversitatem in animis nostris latere; tam arcta namque pro-

A 4

pin-

(x) *Lib. 2. Ethic. cap. 1.* (λ) *Gal. de usu part. Lib. 1, c. 23 f.*

pingvitas corporis & animæ nostræ est, ut mysteria, quæ in abdito natura concluderat, externa per membrorum signa prodantur, propterea qui unionem hanc arctissimam negat, & per consequens materiale in immateriale naturaliter sibi junctum & vice versa agere, inficiatur etiam hominem cum suis operationibus; siquidem destructâ consensione amicabili partium hominis essentialium, nulli essent sensus & affectus, nec ullæ actiones & passionem mutua fierent. (u) Ast quum contrarium experiamur, dicimus nullum esse corporis humani membrum oculis nostris subiectum, quod non aliquam animi latentis speciem præbeat.

S. VII. Velamentum ani-

mæ corpus quidem est, (v). Quam ob causam Socrates pectora hominum fenestrata optavit, ut ingenia & motus animi interiores illius paterent conspectui, hoc tamen quidquid est, revera mentis habitus in corporis statu cernitur. (z) & ita
spe-

(u) *Claub. dict. Physic. Thes. 96.* (v) *Seneca Epist. 22, m* (z) *Ambros. lib. 1. Offic. cap. 18.*

species facierum, colores capillorum & staturas hominum diversas, non alio fine dicimus hominibus donatas, quam ut diversorum ingeniorum apertissima sint argumenta; hoc idem statuit Plutarchus, *In forma honesta* inqviens, & corpore puro, indicia animi erecta illi conspiciunt, qui istec advertere callent. (ρ) Vultus imago animæ est; (σ) argumento, quia nulla cogitatio intra est, cujus vestigia in vultu non adparent, qua re nec desunt, qui totum hominem in vultu consistere præfantur. Alexander dum vultus indicia in Medico suo venaretur, conscientia notas se deprehensurum sperabat, (τ) haud inscius vultum esse sermonem tacitum perturbationum animi; (υ) sæpe interim falluntur, qui nimium in ejusmodi conjecturis ponunt, sciendum itaque *Disciplinam* multum facere in corpore vitioso ad correctionem morum, *adspirationem Numinis* mores pravos tollere, *adsuefactionem* emendare, *simulationem* denique

A 5

(ρ) *in ἐρωτικῷ* p. 766. (σ) *Fernelius Path. de signis* c. 11. (τ) *Curt. lib. 3. cap. 6.* (υ) *Plut. de ira* cohib. p. 555.

que tegere; quidam enim vultum ita mutant, ut graves adpareant, licet diuturna hæc simulatio non sit; extra hos tamen limites infallibilia signa. animorum, tam in vultus speculo, quam in aliis membris, in loquela quoque & risu deprehendimus, hæc pluribus persequi vetat ratio instituti.

Quod datur Ingenium, ex natura fonte probatum;

Quale simulque fiet, corpora signa dabunt.

PARTICULA SECUNDA

describit

Proprietates vocis Ingenii.

JAM ad placita Philosopho-
rum, qui ab inquisitione vocularum ini-
tium Disputationis fieri monent, (a) Defi-
nitionem Nominalem, proxime inspicien-
dam occipiamus, reputantes illud Gale-
ni: *Επί πάντων ζησμένων εἰς λόγον, χρῆ-
μέλα λαμβάνεσθαι τὸ ὄνομα*, in omnibus de
quibus queritur ad rationem, oportet
transsumi ipsum nomen. (b) Plutarchus
ratione adhibita hoc confirmat, monens
eos, qui vocabula non discunt rectè intelli-
gere, etiam de rebus ipsis falli; (c) Vo-
cabulum, itaque ingenii, ratione ὀνομασ-
λογίας pensitabimus, quid lucis præsen-
ti negotio fœneraturum sit, visuri.

§. II. Ratione ἐτίμησ dicimus

vocem Ingenii tam κατὰ κλήσιν quam
χρῆσιν esse Latinam, deducitur enim
Ingenium à *gignendo*, vel propius à *ge-
nendo*, quod à verbo antiquo *Gene* or-
tum

(a) *Epicl. Lib. 1. differt Arrian. c. 17.* (b) *Libro 1.
de meth. medendi. c. 5.* (c) *de Iside & Oris. p. 379.*

tum est, hinc antiquitus formatum est compositum ingenio, à quo tanquam principio proximo, nomen deducimus ingenii, quod idem significat, ac vim ingenitam vel insitam dixeris. (d) Nobiscum sentit Manilius, qui hanc eandem rationem *ἐτυμολογίας* hujus adhibet in versu: *Etiam his ingenitur visendi ignota cupido.* (e) Qui hoc nomen primo indiderunt intellectus aptitudini, sanè haud levi consilio secum illud ponderarunt, inspicientes enim proprietates & officia ingenii admiranda, Genium illum velut ingenitum, adpellarunt, eadem ratione, qua veteres Deum suum genium, à vi rerum omnium gignendarum, (f) dictum voluere; hoc idem intendit Cicero dicens: *Animus humanus ex divina mente decerptus, cum nullo alio, quam Deo ipso, si fas dictu est, comparari potest.*

§. III. Hæc ex occasione, modo loquendi à Physicis recepto, notamus duas homini potentias inesse generat-

(d) Heereb. disp. 44. de Ing. (e) lib. 3. versu 135.
 (f) Isidorus lib. 8. cap. 10. (g) V. Tusc. cap. 5.

nerativas, unam dicunt cum cæteris animantibus communem, alteram vero ab essentiis participare spiritualibus, (b) sicut enim ex conjunctione animalium foetus concipitur, ita vi posterioris potentiae procreatricis, qui verè intellectus est, nascuntur νοήματα seu conceptus, (i) qui partus mentis vocantur; hi Conceptus alias vocantur Verbum mentis, quod revera Terminus intellectio- nis est, (k) qua de re nos instruit Excell. Spersl, dividens speciem intelligibilem in expressam & impressam, (l) hanc dicit ens permanens esse, à mente agente patienti infusum, objectum repræsentans. Illam v. partum seu verbum mentis, quod iterum duplex: unum oris & vocale καὶ ἔξω, alterum cordis & mentale καὶ ἐξω, nuncupatur, verbum hoc internum alteri præpoller, quodque à quacunque intellectu generari constat, quippe non minus repugnat operationem mentalem esse, sine verbo vel partu, quam calefactionem sine

(b) Esc. maj. c. i. (i) Form. Metaph. Lib. 1. c. 1.
 (k) Carol. de Racontis disp. de anima rationali.
 (l) Anthrop. c. 3. Qu. 2.

sine calore. Huic innituntur Physici dum partum mentis citant, hæc n. intra suam *μνημοσύνην* simulachra quæ accidentia sunt producit, quapropter merito potentia generatrix audit. Ex hoc etiam concludimus, Scientias tantum imagines esse, quas Ingenia intra suam memoriam generarunt, quod expresse nobiscum statuit Petronius, quum de Poëtis meminit dicens: *Mens concipere & partum edere nequit, nisi flumine literarum inundata.* (m)

§. IV. Ad *ἰσχυρίαν* nos recipiamus, quo significatio vocis Ingenii propria, fiat nota. Sumitur ista apud Physicos & Historicos dupliciter, (1.) *Latius* & *γενικῶς*, qua ratione sine aliquo discrimine, naturam & vim cuique corpori innatam denotat, sic vocolâ ingenii sine aliqua differentia, describit Plinius naturam *Locorum*, quando *Ingenium Soli* (n) nominat; *Avium*, dum refert: *Halcyonum nidi figura reliquarum quoque solertia admonet*, neque alia

ex

(m) Petr. Satyr. p. 155 [n] lib. lib. 14. c. 1.

ex parte ingenia avium magis admiranda. (o) Simili modo *Gressilium Brutorum*, (p) quibus tamen rebus inanimis & rationis expertibus, non nisi improprie nomen hoc tribuit. (ii.) *Strictius* & *ἰδιωκῶς*, quomodo pro innata virtute, & vi hominem ad aliquid inveniendum & exequendum stimulante accipitur, prout in quibusdam remissior & in quibusdam intensior est; acceptionem hanc Ingenii exprimunt, Seneca, dum Albi flavi post multos annos redivivum ingenium describit; (q) & Curtius ubi *Bactrianorum exasperata ingenia* memorat. (r).

§. v. Evincitur adeoque per

Ingenium proprie & κατ' ἐξοχὴν Humanam habilitatem intelligi. Quapropter dispiciendum quot modis Auctores ingenium hoc humanum accipiunt; Quidam per id docilitatem & memoriam volunt intellectas, utpote illud describit Cicero, sed quum ea definitio non omnes Inge-
nio-

(o) *Lib. 10. c. 23.* [p] *Lib. 8. c. 3.* (q) *Lib. 1. controvers. circa finem* [r] *Lib. 7. c. (s) Lib. 5. de finibus, c. 13.*

niorum sortes complectatur ; sed ea tantū Ingenia, quorum cura in formatoribus demandata est, mittimus istam. Quidam pro Artibus ingeniosis, ut Ovidius. (t) Quidam itidem & haud rarò pro Eloquentia *Ingenio* adquisitâ, ut Claud. de Honorio

*Que docta facultas
Ingenii, linguaeque modus* - (u)

Nos autem inter has opiniones discrepantes locati, significationem Ingenii propriissimam, prout à nobis in hoc Exercitio ventilatur exprimere conamur ; dicendo per Ingenium, Tres Potentias Rationales Homini ad cognitionem inservientes ; *Judiciam, vid. memoriam & vim imaginativam*, specialissime intelligi (x) argumento, quod Dotes ingenii tres sc. Cogitandi celeritas, distinctè imaginandi facilitas & memoriæ capacitas, (x) quibus gaudentes Ingeniosi dicimur, à potentiis istis tribus eductæ sint.

§. VI. Genuina significatione Ingenii vindicatâ, ad *ισοδυναμῆντα* provolvimur. Hæc ut per plurima numeran-

(t) Lib. 3. Amorum (u) paneg. de 4. conf. Hon (x) Des Cartes de metodo recte ratione utendi.

ranetur, ea saltim vocabula heic adtingimus, quæ negotium præsens hoc nostrum proximè denominant. Nonnulla horum *Latine*, quædam etiam *Græcè* efferuntur; Caterum ut secundum Facultates cognoscendi supra memoratas, in certos ordines redigantur, prout ratione harum quarumlibet de *Ingenio* dicuntur, interest, ut initium faciamus à *Judicio*; hujus respectu dicitur *Ingenium* 1. *Subtilitas*. 2. *Perspicacia mentis*. 3. *Animus*, qui quandoque æque late patet cum *Ingenio*. Ob *Memoriam* vocatur, 1. *Capacitas mentis*. 2. *Discendi facilitas* & ejusdem 3. *difficultas*, quo malum *Ingenium* designamus. *Imaginativæ* causa vero. 1. *Habilitas*. 2. *Acumen*, 3. *Solertia*.

§. VII. Ne quid cogitationis oboriatur, Cand. Lect. nos sine ratione Synonyma hæc distribuisse, variorum Auctorum sententias adponere placet, in quibus propriæ harum vocum exprimuntur significationes. Ad *Judicium Subtilitatis* refert Cicero, quando *Judicium*

Servii Sulpitii commendat verbis: *Περσικῶν* *ὑπομνημάτων* non est necesse, facile cedo librorum tuorum Subtilitati. (y) Etiam Perspicaciam, dum ad Atticum scribens in hæc verba prorumpit: *Et mehercule, Litteræ πεπυκνωμένως scriptæ, quod ipsum Perspicaciam aliquam vel προκοπήν, ut recentiores libri habent, significaret.* (z) Animum declarat Sallustius, dicens eos, qui de rebus dubiis consultant, irâ, odiô & amicitia vacuos esse debere, subnectens Rationem, *haud facile Animus Verum providet, ubi ista officiant.* (a)

§. VIII. Ad Memoriam

Capacitatem pertinere probat Cicero, *Utrum* inqviens, *Capacitatem aliquam in animo esse putamus, quo tanquam in aliquod vas, ea que meminimus infundantur?* (b) Docilitatem adcommodat ætati Puerili Seneca, (c) utpote intra cuius terminos maxime valemus Memoriam. Porro inquit Cicero: *Ingeniû magnitudo non desiderat Indocilem usus discipli-*

(y) Lib. IV. Epist. ad Serv. Sulp. Epist. 4. (z) Lib. 15. ad Attic. Epist. 16. (a) Catil. c. 57. (b) Tuscul. Quest. lib. 1. c. 25. (c) Epist. 108. f.

sciplinam, (d) *Imaginativa* quadrare *Habilitatem*, per contrarium monstrat Cicero, (e) dum eam corpori tribuit. *Habilitas* enim animi ad Joca & Seria est idonea; Etiam *Acumen*, ubi Epicurum describit hominem *sine Acumine, sine Lepore, sine Auctoritate*. (f) Quasi hæc tria à se invicem separari nequeant, ut autem verbis insit Lepus, Acumine opus est, quod ad Phantasiam originem sui refert; Sic meretricibus acumina, ut caliditatem, fraudes, &c. tribuit Horatius. (g) *Solertiam* denique respectu Phantasie de Ingenio dici, monstrat Livius, dum *Dictatorem Solerti animo rem novam excogitasse* dicit. (h).

§. IX. Vocabula Græca ad

eundem exigamus Ordinem; dicitur Ingenium, Græcè *Ευφροια*, à *Φύω* nascor, produco, quæ vox agnoscit *Συνοίσημα* ratione Judicii, i. *Δύναμιν κριτικήν*, *dexteritatem judicandi* (i) 2. *Ευβουλίαν*, *bonam*

B 2

con-

(d) Lib. 4. Acad. Quest. c. 1. (e) de legibus cap. 9. (f) Lib. 2. de natura deorum c. 29. (g) Lib. 1. Epist. 17. (h) Lib. 7. cap. 14. (i) *Misrel, de term. phil.*

consultationem, 3. Σύνεσις, perspicacia. Ob Memoriam dicitur 1. Μνήμη λογικῆ, memoria rationalis. (i) 2. Ευμάθεια, docilitas & 3. Δυσμάθεια, discendi difficultas. (k) Quantum ad Vim Phantasticam, est 1. Αγχινοια subtilis inventio mentis. 2. Ευσοχῆια, vis conjectandi & 3. Δεινότης solertia, quæ describitur Potentia excogitandi illa, quæ scopum respiciunt præfixum. Liqvet igitur Ingenium, non ad Unam tantum, sed ad omnes tres nominatas Potentias Ratiocinativas, semet extendere.

*Sic vox Ingenii tenui sub imaginis
Umbræ,*

En! Rem depingit, lumine conspicuo,

(i) Ibidem (k) Antrop. Sperl. c. 3.
Quest. 4.

PARTICULA TERTIA

proponit

Questionem.

NUM hoc in statu vitæ perfectum Ingenium in Humano Cœ-
lu colligi queat? Problema hoc extri-
 catu difficile est, utcumque tamen Res e-
 rit cessura, intactum illud non omitte-
 mus; statim in limine quosdam nos la-
 cessituros subsentiamus, qui Quintiliani
 dicto: *Non est perfectum quidquam, quo
 melius est aliud;* (a) de Humana Perfe-
 ctione subsumentes respectu Divinæ, ad-
 firmativam nostram evertere conan-
 tur. Verum resp. concedendo, Perfe-
 ctionem Ingenii Humani, magna qui-
 dem distinctione esse Divinâ Sapientiâ
 & Perfectione inferiorem; sed quum heic
 tantum agatur de Perfectione, non tamen
Supernaturali aliqua in statu Integritatis,
 neq; *Naturali*, ratione primarum Facul-
 tatum, qualem Pontificii statuunt; Sed
Philosophica, comparatè sumptâ, quâ su-
 perior

B. 3

(a) Lib. XII, instit. Orator, c. 1.

perior in hoc decursorio, *Ingenio Humano non permittitur; consecrarium est,* nos jam sine controversia de perfectione Ingenii humani agere posse, de ea videlicet quæ *Μαθήσει καὶ Ασκήσει* absolvitur; Huc omninò respicit Apophtegma illud Platonis: *Nullum animal cum tanta nascitur intelligentia, quanta & qualis ei dum provecum fuerit, convenit.* (b)

§. II. Objicient quidam cum Scaligero, Nos Intellectu nostro nocturno, in luce rerum tenui caligare, in mediocri cœcutire, inque majori insanire; (c) Imo, valetudinarium hunc Orbem esse, ubi in clarissimis hallucinamur. Hæc omnia *Γὰρ ἀμφοῖν* largimur, endemiam mentis nostræ imbecillitatem agnoscentes; sed juxta hoc maximè expediet cogitare, Divinam bonitatem non alio fine nobis adfulsisse in aperiendis nobis Scientiis & Artibus, quàm ut nobis inde felicitatem *Habitualement*, vel Perfectionem quandam, in locum amissæ

(b) Plato, circa finem lib. 2. (c) Exercitat.

ſæ Perfectionis vel Integritatis, adquiramus. Argumentamur porrò, non alioqui *Dotes Ingenii* nobis concessas, niſi ſplendor & Perfectio Philoſophica medi-antibus iſtis, *Ingenio* parari poſſit. Hiſce ſaltem Ethnicos *Σοφῆς* olim ornatos, *διὰ τὸ μαρτυρεῖν, καὶ τὸ ὁμολογεῖσθαι*, Philoſophiæ rudimenta & fundamenta poſuiſſe novimus; qui ergo non fiet? quin poſt ea tempora ac etiamnum, perfectio hæc Homini- bus conſtiterit & conſtet, quum tot præſidiis naturæ & pluribus ſubſidiis, gaviſi ſint & gaudeant.

§. III. Nihil in hoc mundo

otioſum eſt, etiam animalcula minima ad deſtinata quaſi officia feruntur; mul- tò major igitur Homini, quod animal providum, plenum rationis & conſilii, (d) atque *θεῖον ζῷον*, *Divinum animal* eſt, ut vult Trismegiſtus, (e) erit pro- penſio concedenda, ad finem propoſiti ſui perſequendum; Equidem apertiffi- mum eſt, animam noſtram ad felicita-
rem

(d) Cic. lib. 1. de legibus c. 7. (e) in clavis circa finem.

tem & dignitatem, cui factus est, summo studio contendere, adpetitus enim ejus bono movetur, & quod Cogitationibus adsequi se posse cernit, variis Mediis aditum ad id sibi parat; quibus tamen adeo non opus habuisset anee lapsum, quando promptitudine & alacritate quadam ad cognitionem ferebatur.

§. IV. Perfectionem hominis Philosophicam dilucidius explanatam cupientes, necesse ducimus in ejus rationem inquirere per requisita, quorum mentionem facit, Celeb. Prof. Wanoch. dum *Media* ad species Perfectionum Intellectualis & Moralis, sibi invicem opponi refert; *Subjectis, Efficiente, Finibus & Objectis*; (f) Adripimus ergo hinc ansam perpendendi, Perfectionem Intellectualem vel Ingenii Adepti, (g) ratione *Subjectorum, Efficientis & Objectorum*. Subjectum Quod Perfectionis hujus dicimus Hominem partibus essentialibus constantem, totus enim Homo Perfectus

(f) *Disq. pract. cap. IX. sect. καλασικ.* (g) *Pico- col. de mente humana lib. 1. c. 14.*

dicitur, Illi quoque in genere intelligibilium sibi Perfectionem adquirere incumbit. Subjectum Quo *Mediatum* & informationis, Anima humana est. Quo *Immediatum* autem, Facultates cognoscendi Rationales; imprimis v. Intellectus Theoreticus & Practicus; Unde natum est, quod per Animam vivere, per Facultates autem ejus, benè & sapienter vivere dicimur. (h)

§. v. Quod ad Efficientem

hujus Perfectionis, dicimus illam, præsuppositis *Primis Principiis* vel *Lumine* naturæ, *Doctrinam* & *Informationem* esse; Vi quoque comparationis ad perfectionem Moralem, quam Ἀνθρώπων πρακτικὸν καὶ κηρικὸν esse statuunt Ethici; hoc ipsum concludimus; Hanc rem indigitat Plato, quærens: ἀρετὴν ἔτι καὶ τὰ καλὰ ἐπιηδευματα εἰς ἀρετῆς κηρικῶν φέρει, ποῦνε exercitationes bonæ ad virtutem acquirendam conducunt? (i) Itaque dum Ingenio bono adhibetur Ars & studium, ad cognitionem veritatis, quæ perfectionis

(h) Lib. 4. de republ. f. p. 647. (i) Vendel, Phil. moral.

nis *Διανοητικῆς* [fundamentum est, facile evadunt Eruditi. Superest *Objectum* v: *Medium* considerandum, cujus ope sibi turba humana Perfectum parat Ingenium, Hoc nomine venit *Virtutis Intellectuales*, quæ pro objecto habet Verum Universale & necessarium; *Virtutem* autem *Moralem*, cujus objectum est bonum Contingens & Speciale, hic non adtendimus. Illa *Διανοητικῆς*, in speculativam & Practicam dispescitur, quarum utraqve Verum indagat, sed discrepant Objectis; Speculativa namque Objectum necessarium, Practica vero contingens investigat: Ad illam spectant *Intelligentia*, *Sapientia* & *Scientia*, ad hanc *Ars* & *Prudentia* referuntur. (k) Porro, quum horum habituum disciplinarium singuli, plurimas sub se contineant *Scientias*, optima itaq; sunt *Media* adsequenda perfectionis Ingenii.

§. VI. Quænam & qualia sint *Media* ad beatitudinem Philosophicam ducentia exposuimus, dubitare tamen

(k) *Iteri Phil. moral. lib. III. c. 15.*

men videris C. Lect. An unquam Perfectio hæc cuiquam obtingat, quando Media tam ampla & crebra sint, ut in Unum cadere nequeant. Hoc posterius Tibi concedimus, Virtutes enim Intellectuales tantæ sunt latitudinis, ut Perfectionem omnibus numeris absolutam, in hoc statu, unus in istis omnibus consequi haud possit; dicimus tamen quoscopum adtingamus, in Una vel Duabus Philosophiæ partibus, Unum insigniter Perfectum existere posse, ut superior Perfectio Humano Ingenio nequidem expectabitur; Quapropter quum Unus in hæc, Alter in illa Philosophiæ parte summum Perfectionis gradum sit consequutus; firmissimè concludimus more Ethicorum, in cœtu Literatorum *Perfectionem illam Philosophicam*, veram Ingenii gloriam, tam studio quam naturâ paratam, etiam in hoc Seculo infecto dari.

§. VII. Patet adeoque ab u-

niversis obtineri quod à singulis nequit, vix enim quemquam inveniri crediderim

rim, qui in Omni Scientiarum genere Perfectissimus est. Perfectio Intellectualis, Orbi huic vasto probè comparatur, quia ut facies totius Mundi simul Uni in conspectum venire nequit, sed oportet plurimos esse per Orbem sparsos, qui tandem perfectè illum semel contemplantur; eadem ratione, Perfectio Philosophica non ab uno obtinetur, ἐν ἀπασιν γὰρ τὸ τέλειον ἀδύνατον (l) non enim omnia possumus omnes; requiritur ergo, ut Cœtu Eruditorum convocato, Perfectissimum in Humano genere habeatur *Ingenium*. Nec alium existimarem divi Pauli sensum, ubi Διαίρεσις χειρομάτων, in Cœtu humano Divinitus factas, (m) longo Catalogo recenset; monstrat enim Deum habito respectu Ingeniorum; hanc vel illam Scientiam certis Individuis adsignasse, & ita Perfectionem etiam Philosophicam non in Uno, sed pluribus Subjectis, reperiri voluisse.

§. VIII. *Causa Physica ejus rei, quod sc. cuique speciei Ingenii Litera-*

(l) Plut. de educ. puer. p. 7; (m) 1. Cor. 6. 12. v. 4. seqq.

verari; non nisi Unica vel rarissime Duæ
 obveniant Scientiæ, in excellenti gradu,
 ut excellens in *Contemplatione*, non ad-
 modum valeat in *Præctis*, hæc est; quod
 diversa Scientia, diversam etiam requirat
 Ingenii dispositionem, adeoque aptitudo
 ad unam Scientiam excludat aptitudinem
 ad alteram; (n) Quidam enim ob hu-
 miditatem cerebri valde *Memoriosi* sunt,
 Quidam ob ejus siccitatem contra *Judic-
 iosi*, proptereaque minus valent Memo-
 riâ, Quidam denique ob calorem Opti-
 mâ pollent *Imaginativâ*; Atque ita Scien-
 tiis cuiq; harum Potentiarum aptis, quum
 evidentissimum sit, Unum non gaudere
 posse, in gradu Perfecto, impossibile enim
 est Temperamenta adeo pugnancia, in u-
 no Cerebro simul & semel stabulari; re-
 manet ergo immotum, Ingenia omnia
 dum colligantur, & *Unum Universale*
 seu *rationis* constituitur, Perfectionem
 ejus etiam in Choro Doctorum teneri.

*Ingenium sapiens in Cunctis, turba So-
 phorum*

Exerit; hoc uni larga Parens negitat.

Sectio

(n) Esc. maj. in proem.

SECTIO SECUNDA

representat

Habitudinem Ingenii, ubi in

PARTICULA PRIMA

Definitionis Realis ratio habetur.

CONsideratione Ingenii Extracessentia-
 li supposita, ex ordine consideran-
 da venit ejus Constitutio; cujus fun-
 damenta quum Definitioni superstruan-
 tur Reali, Hæc eapropter primò ad lan-
 cem nobis ponderanda est. Admonet
 Nos hujus rei Cicero, Principiis cogni-
 tis multo facilius extrema intelligi, ra-
 tus; (a) Plato hoc ulterius exponit, *de-*
bet quisque præcipiens, τῶν ἀρχῶν πρῶ-
τος πρῶτατος, circa rei cujusque princi-
pium, multa differere & diligenter exa-
minare, quo sufficienter examinato, cæ-
tera jam principium sequi debent. (b)
 Ad definitionis propterea maturabimus
 enucleationem, ne incommoda quæ
 ἀρχῶν ἀγνομήνης accidere solent, nos ma-
 neant. §. II.

(a) Pro Cluent. c. 4. (b) In Cratylo
 pag. 299. 6.

§. II. Aristoteles Definitio-

nem adpellat ὄρον, (c) cujus dicti ratione verè Definitio Ingenii quoque Terminus est, à quo omnis doctrina de Ingenio incipit; Quocirca, dum Definitiones plurimas argumenti hujus nobis obversantes contemplamur, adripimus descriptionem à Sperl. traditam, videlicet *Ingenium Humanum est aptitudo Intellectus, circa intelligibilia, Homini connata.*

(d) Definitio hæc scrinium Theauris plenum est, quod si reclusum fuerit artis Logicæ claviculis, ad oculum cuique splendida supellex ejus adparebit. *Genus* heic adhibetur aptitudo Intellectus, Quod ut est suo definito latius & simul cum eo reciprocatur, sic & isti congruentissimum. Prius patet, quoniam Aptitudo Naturalis ad corpora etiam naturalia reliqua, ὅντα, ζῶντα καὶ ἀϊθνητά, pertinet, quippe quæ aptitudine quoque *innata* aliquid agendi, gaudent; nec posterius inevidens est, quum non alia magis

(c) *Topic. lib. 1. c. 4.* (d) *Ambros. cap. 3.*

Quest. 4.

gis vocabula inter se reciprocentur, ac
Ingenium & *Intellectus* aptitudo.

§. III. Ad prædicamentum

Qualitatis, *Ingenium* referri posse adparet, quia extraessentialiter adficit suam *Substantiam*, per id etenim *Homo* dicitur *Qualis*; ad quam autem *Qualitatis* speciem proximè ducatur, dubium est. Quidam ajunt ad *Habitus* id pertinere, quidam iterum ad *Potentiam* naturalem; Nos vero ab his secedentes, dicimus *Ingenium* ad nullam *Qualitatis* Speciem proprie referri; aut quum sit *Hominis* *Dispositio* ad aliquid *inveniendum* & *agendum*, atque *Potentia* *Intellectui* sc. superaddatur, & porro nec sit *Actus* aut forma perfecta, ut *Intellectio*; reliquum est, ut illud inter *Potentiam* & *Actum* *Medium* tenere statuamus. (e) In *Differentia* se *Materiale* *Ingenii* nobis offert, quod verba, circa *intelligibilia*, constituunt, quibus *connexio* exponitur, quam *Ingenium* cum *Mente* habet, à quâ
 nec

(e) *Micr. de term. Phil.*

nec differt realiter sed formaliter. (f)
Formale exprimunt verba, *homini con-*
natum; ad discernendam aptitudinem
 reliquis substantiis creatis Intelligibili-
 bus insitam.

§. IV. Definitio adlata ex-
 plicat *Ingenium*, tanquam *ἀπλῶς* ad in-
 tellectum referretur, unde & quis sibi
 posset imaginari, nec amplius Ingenium
 extendi; sed ea non semper sunt quæ vi-
 dentur, monente Phædro; (g) sumitur
 namque vocula Intellectus, heic loci, pro
 Habitibus Potentialib9, tam Revera quam
 ex parte Ratiocinativis, vel potentiis per-
 ciendi Tribus ante nominatis, quarum
 Habilitas vocatur Ingenium; adposi-
 tissime ad hæc dicit Le grand. (h) *In-*
genii nomine non puram & à corpore di-
stinctam Rationem Humanam intelligi-
mus, sed eandem, quatenus corporis dispo-
sitione quodammodo perficitur & impe-
ditur. Cernimus etiam præter hæc Do-
 tes Ingenii supra recensitas, non ab a-
 C nima

(f) *Hœereboord aisp Phil select. 44.* [g] *Fabula-*
rum Lib. quart. Proœm. (h) *Instit. Phil. part.*
 IX, c, 5,

nima pura prodire, sed quatenus parte
tenus in composito fundantur. Quò
vero melius intelligantur Potentiæ hæ
singulæ, placet nobis de istis mentem no-
stram paucis aperire, primò respicientes

§. v. **Judicium**, quo præci-
puè circumscribitur Ingenium; Hoc duas
posteriores mentis operationes, *δύναμιν*
συνθετικὴν, cujus actus est affirmatio &
negatio, & *λογικὴν* actum ratiocinati-
vum denotat; adprehensione vero sim-
plicium, quam tertiam adjungit Sperl.
(i) quivis vel stupidissimus gaudet. Qui
strictè nomen Judicii usurpant, pro *Διά-
νοια* tantum illud accipiunt, nos autem
Secundam addimus, quum etiam illa
quandam habilitatem includat. *Mens* &
Intellectus nobis idem sunt, definitur e-
nim *Mens*, subtilissima vis in intellectu,
quæ res incorporeas species sc. specu-
latur, (k) hisce Thales addit calculum,
inquiens: *ταχιστον υἱος δια παντος γαρ ἱερεαι,*
*velocissimum enim mens per omnia cur-
rit.* (l) Sed hæc per transennam. Quòd

Judi-

(i) *Anthr. c. 3 Qu. 5.* (k) *Micr. de Term.*
Phil. (l) apud laërt. p. 23. f.

Judicium Intellectui adsignavimus, sentimus nobis paratos Hostes, qui à Voluntate tanquam magno fonte Facultatum Animæ, (m) Judicandi vim dependere perhibent; sed ad nostram Sententiam defendendam saltim addimus, perperam hoc in passu voluntatis naturam percipi, quum confundatur *Modus dyjudicationis* ab Intellectu factæ, cum *objecto dyjudicato* bono malove; fatemur quidem voluntatem hujus posterioris respectu, quatenus sc. percipit objectum ab intellectu sibi propositum, non planè irrationalem esse, dicimus tamen illam meritò cœcam vocari, in quantum ad prius, adprehensionem nempe ab extrinseco & dyjudicationem, quæ operationes Intellectus sunt propriæ.

§. VI. Memoria, qua secundo circumscibitur Ingenium, duplex in homine recensetur. (n) Prior consideratur ut potentia menti nostræ insidens, quæ rerum per illam adprehensarum re-

C 2

corda-

(m) De la forge de mente hum. [n] Magir. Anthropol. tract. 3, cap 15.

cordatur, alias Memoria Intellectiva dicitur, idemque cum Mente est; Quatenus enim Intellectus excudit species intelligibiles *Agens* dicitur, quatenus eas recipit *Patiens*, *Memoria* denique quâ per species in se reconditas, recordatur præteritarum. Posteriores admittimus famulâ sensuû, quod promptuariû est, in quo species sensiles conduntur, non tamen illa sensibus adnumeratur; nos autem dum *Memoriam* in Ingenii expositione nominamus, sine discrimine ambas memoriæ species, ut res exigit, indigitamus.

§. VII. Phantasiâ denique expendemus, monstrando rationem, quâ Potentiis percipiendi Rationalibus adnumerari potest. Organicarum hæc facultas nobilissima est, sensum enim communem se inferiorem habet. Munera Phantasiæ plurima notat Piccol. (o) Præcipua tamen eorum sunt Tria. i. m. est *Objecta* per sensorium commune sibi oblata retinere & judicare; ut enim facultas subordinata est, ita ejus actus & judicium,

hujus

(o) *Lib. de sens. internis c. 15.*

hujus muneris ratione *φαντασία* dicitur quasi *φαινόσων σάσις*, vel conservatio eorum quæ adparent. 2.^m Est novas species è delatis elicere, & quodcunque volumus imaginari, quare scitè definitur affirmatio & negatio sequens sensum, sicut Intellectio affirmatio & negatio sequens cogitationem. 3.^m Est inservire Menti species ei obferendo, cujus ratione ponimus hanc magistram simulachrorum, jungi nexu quodam Intellectui; præterea quum actiones mutuas exerceant hæ Potentiæ, Illa huic objecta subministrando, quapropter Inchoatio ratiocinationis meritò vocatur; Illam vicissim hæc corrigendo; nihil prohibet, quin *Phantasia* propter hoc cum facultate Cogitativa commercium, facultas Rationalis dici & hic adhiberi queat.

§. VIII. Potentiis Ratiocina-

tivis, quibus Ingenium & ejus scrutinium innititur, simpliciter declaratis; Quæsito heic opus est; *An Ingenium* magis requiratur, ut doctus quis evadat, quam *disciplina* & *Ufus*? Aristoteles ad habitus acquisitionem, triâ nobis proposuit

requisitâ, ut sunt Φύσις, Μέθοδος καὶ Γυμνασία. (p) Inter quæ *Ingenium* nos habilitat, *Scientia* dirigit, assiduitas & *Exercitatio* perficit. Variè se torquent circa hanc Quæstionem nonnulli, sed omnes opiniones dissentientes, vel unicum hoc componit ἀπόφθεγμα Pindari: σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς Φυᾶ, vel *sapiens est, qui multa novit nature solertiâ, qui vero tamen disciplinâ usi, sunt vehementes garrulitate velut Corvi.* (q) Ratio- nibus, adhibitis etiam Cicero maximi facit *Ingenium*, ubi ait: *studia nostra nature regulâ metiamur, nec adinet repugnare nature, nec quidquam sequi, quod adsequi nequeas.* (r)

§. IX. Elucet itaque hominem literarum studio addictum, præsertim *Ingenio* seu *Natura habili* opus habere, si vero hæc careat, non putandum illum unquam profectum aliquem in scientiis experiri posse, licet caput sibi legendo rumpat. Non alius de hac nature vi feliciter sentire potuit ac
Cice-

(p) apud Laërt. de vita ipsius Lib. V. p. 312. [q] Olymp. Oda. II. 52. ε. [r] Lib. I. Offic. c. 31.

Cicero, qui de illa, prout in Eloqven-
tia & artibus addiscendis præcipuum pa-
rit momentum, Elegantissimos conscri-
psit Libros; Ingenii Boni documentum
ipse sibi fuit, Mali vero filius ejus, qui
licet Bibliothecâ gauderet instructâ, &
Præceptorem felicissimum Cratippum
haberet, disciplinæ tamen ob defectum
Naturæ, paucissimæ evadebat homo; quod
omne bene perpendens, memorabile hoc
dictum reddidit: *In hoc sumus sapien-
tes, quod naturam optimam ducem, tan-
quam Deum sequimur eique paremus.* (f)
Propensio supra nominata in discente quo-
que requiritur, quosdam enim videmus
bono Ingenio, ad studia tamen cogi;
quosdam iterum scopum contingere, de-
siderio hoc regnante, licet tardo sint In-
genio; confirmat hoc Cæsar, dicens: *U-
bi intenderit animum valet, si Libido pos-
sidet.* (t)

§. X. Disciplinam secunda-

riò requirit discens, quippe etiamsi quis
optimâ sit naturâ; ad habitum tamen

C 4

non

[f]. Cic. in Cat. maj. c. 2. [t] apud Sallust. Catil.
cap. 51.

non pervenit nisi artem adhibeat; Artium originem nosse cupientes, Demoxenus adfatur verbis: ἡ Φύσις πάντων Τέχνης ἀρχέγονόν ἐστι, *natura omnium artium primaeva parens est.* (u) Rationem huic dicto reddit Philo; Etenim, Inquiens, *si artes essent artes productura, nullum extaret principium.* (x) Sed ut naturam *Artis* nobis habeamus exploratam, attendamus eam quatenus nobis inest, tripliciter sumi. (1.) In quantum naturali convenit inclinationi. (2.) Quâ nobis quoad semina quædam inest. (3.) Quâ completum actu & secundum suam essentiam nobis inhæret; ponimus itaq; scientiam seu Philosophiam, *duobus prioribus* modis naturâ partam esse; *Ultimâ* vero acceptione scientiam methodicam, à natura dici non posse, quum studio & exercitatione adquiratur.

§. XI. Hæc nihil frustra nos facturos arbitramur, si paucis Causam impellentem Ingenium Humanum, ad *Artes* inve-

(u) Lib. 3, cap. 22. (x) Lib. *Quis rerum hunc, hæc res sit* p. 53.

inveniendas, aperiamus; Itaque *Primario* Lapsum primævum in causa esse dicimus, Hic enim Principium Practicum erat, omnium Scientiarum & Artium manualiarum, utpote quibus singulis humanum genus indigeret, miserias sollevando suas. Corroborat hoc Arnobius & ait: *Deus Ingeniis hominum subjecit has artes, & ut vita instructior fiat, tradidit scienda mortalibus.* (y) In Horto *primò* natales sortita est notitia Jurisprudentiæ, DEO Adamum citante & damnante. (z) Hanc insequuta est Prædicatio Evangelii, quam peregit DEUS ipse promissione seminis, Theologiæ Universæ materiam suppeditando. (a) Excepit proximè Ars militaris, dum Adam expulsus arceretur Paradiso. (b) Post hanc Ars medendi, Homo enim ad omnes calamitates expositus aliter sustentari non potuit. Quæ scientiæ postmodum completiores redditæ, & in ordinem Unum Philosophicum redactæ, non nisi summo studio addisci queunt.

C s

Secun-

(y) *Lib. 3, c. 66.* (z) *Gen. 3, v. 9, 16, 17.* (a) *Ib. v. 15.* (b) *Ibid. v. 24.*

Secundaria causa error est, quam ut a-
bigamus, hic labor, hoc opus.

§. XII. Sine Exercitatione ter-
tio Requisito, ad habitum in statu acqui-
sitionis pervenire nequimus, sciendum
enim nullum dogma ab homine posse
perdisci, nisi id quotidie vel audiat, vel
legat, & ad usum adcommo- det, favet
heic nobis Pelusius & ait: πᾶσαι αἱ τέχναι
ταῖς μὲν μελέταις συγχροῦνται, omnes ar-
tes exercitatione confirmantur, cessa-
tione vero & desidia intereunt. (c) Hæc
eruditionis noverca est. (d)

*Ingenium mentis nostræ decus, ardor,
ab Usu
Splendescit, rectum Artibus Inge-
nuiis.*

(c) Lib. 3. Epist. pag. 296. (d) Ennodius
diſt. XI.

PARTICULA SECUNDA

depingit

*Varietates Ingenii in suis di-
visionibus.*

Similitudo mater satietatis

est (a) ἡ δὲ ποικιλία γέρπον, varietas autem delectat, inquit Plutarchus. (b) Ut autem hoc in spectaculis & audicionibus evenit, sic vel potissimum in contemplatione Ingeniorum accidit; Quanta proinde sit Artificis summi in his formandis solertia, nequit enarrari. Varia sunt vitæ genera in hoc Theatro universali, Ingenia igitur varia & ad quodlibet eorum habilia, Parenti naturæ producere incumbit, quæ præter hæc non vult unum in omni re eminere; sed

*Partitim singula quemque
Nobilitant, hunc forma decens, hunc ro-
bur in armis,*

*Hunc rigor, hunc pietas, illum solertia
juris, (c)*

Adeoque dum animos hominum & In-
genia

(a) Cic. de invent. C. 41. (b) περὶ παιδαγωγῆς p. 7. (c) Claudianus de laud filic. 1, 32.

genia contemplantur, vix duos invenire licet, quibus non Ingenia diversa sunt. Atque hoc quemadmodum diversis obtingit Individuis, ita quoque diversarum familiarum & gentium respectu valet, quas *Ingenio* communiter dissentire à se invicem experimur.

§. III. Ut autem in differentium Ingeniorum vastissimo versamur campo, omnes Ingenii diversitates & divisiones, ratione trium Habituum Potentialium cognoscendi, *Judicii*, *Memoria* & *Phantasia*, leviter adumbrare in animum inducimus. Dividitur Ingenium haud incongruè, ratione *Sui ipsius* & *Variorum Vitæ generum*. Posteriori hoc modo consideratum Ingeniū post hac pensitabimus; Priori vero tenendum, Illud prout nonnullis singulisque Potentialium percipiendi impeditarum, vel optime dispositarum gaudet, in *Bonum* & *Malum* distingvi. (e) Bonum Ingenium, quod bene intelligibilia percipit & dijudicat, species tres habet; quarum Prima
Levia,

(e) *Anthrop. Specul. c. 3. Quest. 4.*

Levia, *Secunda Mediocria*, *Tertia vero Absoluta* continent *Ingenia*; His ex affe obponuntur *Mali Ingenii*, quod defectu percipiendi laborat, species tres, in 1. locantur *Ingenia Tarda*, in 2. *Stupida* in 3. vero *dejecta* & omnino *Nulla*. Sub *Ingenii Boni* latitudine comprehenduntur

§. III. *Primo, Ingenia Levia seu Mobilia.* (f) Ista dico, quæ speciem quamlibet oculis & auribus perceptam, insigni vi imaginativæ illicò adripiunt, quæque dum orationem de aliqua re incipiunt, sine morâ, verborum non deficiente flumine, propositum expeditissimè peragunt; Hæc species à *Memoriâ* & *Phantasiâ* vim suam omnem obtinet. Hæc *Ingenia* cæteroquin *Inquietata* vocantur; *Spirituosa* namque *qualitas* copiosior, quam solam varietatis *Ingenii* causam perhibent nonnulli, in eorum cerebellis nunquam cessat, nec novas desistit quolibet momento suggerere species,

§. IV. *Dux* rursus sunt
hujus

(f) *Euphormio in satir. part. 4. c. 10.*

hujus speciei species; *Prior* in Conven-
 tu privato regnat, lingvâ volubili, ad
 risum movendum & captum plebejorum
 adcommodatâ; quandoquidem his Phanta-
 sia tanta dexteritate non succurrat.
Posterioris speciei Ingenia, majore ornatu
 pollent, Phantasiâ celeri & memoriâ capa-
 ci, uberem materiam suppeditante; Hæc
 etiam promptitudine sui acuminis, ma-
 gnâ sæpe venerationem sibi præter plau-
 sum conciliant, salvo tamen honore illam
 non sustinent, quia quum in aperta, cum
 verborum discrimine nervoso & prolixo
 provocantur, labascunt; Causa rei est
 Judicii exilitas, ob quam deliberandi
 nullus illis est usus; prætereaque dum
 calor, quod Phantasiæ temperamen-
 tum est, primum conceperit impetum,
 torpet. Hæc Ingenii specie præditi sunt
Oratores extemporanei, qui ope Phanta-
 siæ optimæ ad inventionem celerrimi vi-
 gent, *Memoriâ* felicissimâ simulac ad
 aurifluentem dicendi copiam subcurren-
 te. (g) Hæc ingenia extemporaneæ sub-
 tilitatis summam sibi tribui cupiunt pru-
 den-

(g) *Neubusius in Theat. Ing. Lib. 1. cap. 1.*

dentiam; Horum nec minima pars est, quæ in Templorum Cathedris subitam suam eloquentiam procacius effundentia, maximam apud omnes venantur laudem, ut experientiâ novimus, ast quum Judicium huic inconstanti sermoni non respondeat, gloriæ nihil quidquam inde expectabunt sibi. Horum Ingeniorum faciles jocos, sermones & sententias mirantur omnes, verum si hæc nimia procacitas tollatur, nil præter sterilitatem reperies, nullam autem constantem scientiam.

§. V. Inhabilitatis species in

quâ *Tarda* reponuntur Ingenia, Levitati huic contradistinguitur; Hujus Speciei sunt illa, quæ communiter studiis literarum se consecrant; participat hæc Inhabilitas de Ingenio, quam ideoque propriè Inhabilitatem adpellare non possumus. Hujus quoque sunt Duæ species; Unam constituunt *Tarda cum Gravitate*, Alteram vero *Tarda cum Levitate*. *Tarda Gravitas* Ingenio bono imminet adeo, quam longe subtilis levitas ab inhabilitate distare videtur, caret

ret illa imaginandi facilitatē, jacturam
tamen hanc omnem, compensat judicii
firmitudo; Hoc Ingenium, dum sermo
subito sociandus erit, tardam & hærentem
usurpat Orationem, & ab expeditis Inge-
niis impetum, hæsitat. (b) Verum si vel
exiguam temporis meditationi illi im-
pendere liceat, promptè intelligit & sub-
tilitate acri rem pensitat, adeoque volu-
bili celeritati præstat; Hoc autem qui
contemnunt, nesciunt pretiosissimas
merces, vilibus sarcinis sæpe sine Titulo
involutas jacere. *Tarda Levitatis* Inge-
nia tantum judicii non habent, Phanta-
sia tamen illis paulo facilior, & memoria
uberior est; In horum Memoria, acci-
dit mixtura quædam specierum adeo
portentosa, ut ne mille formulæ loquen-
di illis sufficiant, quibus conceptus suos
depromant; (i) In causa sunt phantas-
mata illa libera innumera, quæ hujusmo-
di Ingenium in ordinem redigere debe-
ret, & tamen connectere nescit. Hæc
Tarditas interdum Ingeniosa est, inter-
dum etiam inhabilis.

§. VI.

(b) *Barclaj. Lib. IV. c. II. (i) Esc. maj. c. 2.*

§. VI. Ingenium Mediocre

secundò admittitur, quod inter momen-
taneam Levitatem & Tardam gravitatem,
medium obtinet; est illi Judicium non
languidum, acies imaginandi non obtu-
sa, nec memoria facile labilis; verbo,
de omnibus Ingenii dotibus aliquid tra-
hit; modica huic inest Eloquentia & ve-
nustas, perspicua tamen & prompta O-
ratio; ad consilia danda hoc pronum
est, facileque consiliorum ejus percipi-
tur sententia, est etiam tam ad vitii quam
virtutis semitam ingrediendam procli-
ve; Porro, ni hoc recto tramite in ar-
tibus discendis ducatur, innumera du-
bia oboriuntur illi, quibus turbulentum
redditur.

§. VII. Species Inhabilitatis

huic respondens, *Segnia & Stupida* con-
tinet Ingenia, quæ quidem figuras &
conclusiones, ex primis principis elici-
unt, non tamen sine horrendo labore;
Unde conjicimus parum Phantasiæ & Me-
morix, judicii vero aliquando magis, il-
lis tributum, & ita Hæc eadem, quoad
D omnes

omnes Ingenii dotes defectum aliquem sentire, quapropter parum etiam in studiis proficiunt. Hoc laborans malo, Cerebrum habet nimis aqvosum, cui succi oleaginei parum aut nihil admixtum est, ubi species Phantasiae servari possint; quo fit, ut ægre aliquod Phantasma intra memoriam istius subsistat, quin multis præceptis & exemplis inculetur.

§. VIII. Ingenia Sublimia &

Absoluta Tertio denique perlustranda, quæ ut ultima locantur, ita & prima sunt; Cogitandi celeritatem, distinctè imaginandi robur, & memoriæ facilitatem. Hæc in excessivo ferme gradu habent; hæc etiam brevi discursu rerum naturam, proprietates, finesque ingenti sagacitate rimantur. Beatissima sors Ingenii est, & ex se fertilissima, nihil tam arduum quod non attingit, nihil tam involutum quod non evolvit, imo ad omnia humano intellectui obvia valet; Nec aliam Ingenii speciem respexit Dion, quando dixit: ἔδει δὲ τὸ ἔργον δυναμῆν αὐτοπραπίην φύσει ἐξεργάζεσθαι, nihil est, quod Humano Ingenio effici non potest.

[k] Ad

(k) Ad rempublicam gubernandam & scientias perficiendas, hæc Ingenia sunt nata; Ut tamen excellentia sint adeo, in scientiis methodicis, tamen sine informatione præliminari non admodum valent; Verum tamen si vel modica accesserit instructio & labor, ad Humanæ Sapientiæ Culmen enituntur facilè.

§. XI. Inhabilitatis species Tertia, in qua Animi *Retusi* & *Dejecti* collocantur, huic Ingenii speciei obponitur; Hi nihil habilitatis sunt adepti, quare nec muneri cuiquam fungendo sunt pares, sentit nobis cum in hoc Plato: *Exile Ingenium*, inquit, *nihil unquam vel privatim vel publicè magnum efficit.* (l) Opacæ mentes hæ sunt, & ab humilitate suâ, nunquam in publicum prodire audent. (m) In his informandis Later lavatur; nec aliqua Ingenii suscitabula his sufficiunt, non fulles, non clamores, nulla experientia, nec disciplina, nec tempus. In genere, ad has species observandum, non omnibus eandem vim

(k) In Epitoma p. 343. (l) Lib. 6. de legibus p. 679. (m) Euphormio loco cit.

Ingenii, nec laborum patientiam concessam, quippe quò subtilior alicui Mens est, eò minus magnitudinem & diuturnitatem laboris tolerat; Quò vero quis tardior, eò magis labore delectatur, hic enimvero debilitatem Ingenii sui pensantis, id quod natura illi negaverat, indefesso labore sibi comparare studet, adeo ut illos sæpe superat, quos ad sublimia fecit natura.

§. X. Hactenus diversa Ingenia, ratione Sui, contemplati sumus, jam vero, quoad nostræ tenuitatis intererit, tradamus nos Indagationi Ingeniorum, utpote quæ respectu diversorum *Vitæ Ordinum*, in *Literaria & Moralia* distinguuntur. Literaria ratione Trium potentiarum rationalium tribus includuntur classibus; Illarumque respectu, *Intellectiva*, *Mnemonicæ* & *Imaginativa* nuncupantur. *Prima classis* complectitur Ingenia *Phantastica*, illa sc. Quæ naturalem inclinationem habent, ad disciplinarum quas ediscunt, facilem *ἑωχίαν*, inque facilimis Philosophiæ partibus interrogati, facilem rationem dant, in subtiliori-

tilioribus vero parum vel nihil valent. Ab hujus Classis Ingeniis profluunt *Ars fingendi carmina, Artificium dicendi, Subtilitas* etiam extemporanea, *Scientiæ Mathematica, Usus medendi &c. per plurimæ.* Altera Classis Ingenia Mnemonica continet, quæ uno gradu sunt eminentiora; Hæc doctos & fideles requirunt Præceptores, nec copia librorum Ea deficiet, quos sine intermissione evolvant. Artes quæ his Ingeniis parantur, sunt pure loquendi quamlibet linguam, *Supputandi &c.* etiam Superiorum Philosophiæ Facultatum, nec non *Theologiæ, doctrinæ Ibeticæ; Monumenta temporū, Cosmographia & ex parte Geographia &c.* In Tertia Classe Perfecta ponuntur Ingenia, quibus modicum saltim præmonitrasse sufficiet, undè postmodum sexcentas fingunt imagines; & perfectam sibi parant Scientiam; ad hujus Classis Ingenia, tanquam subiecta commoda, referuntur *Theologia Polemica & quæcunq; Subtilitates Philosophicæ, ita Logica, Metaphysica, Scientiæ Naturalis, Moralis & Civilis, &c.* Esc. Maj.

§. XI. Ingenia Civilia vel

Moralia, ut plurimum sunt Imaginativa. *Phantasia* namque originem sui acceptam referunt, Artes moderandi rempublicam, militandi, scribendi, commodè gestus suos componendi, & quæ sunt reliquæ inventiones & machinationes; Hac ratione, videmus etiam in rebus Civilibus habilitatem postulari, sine quâ nemo felici fidere, istis in rebus progreditur; decipiuntur ergo, qui inficiantur aliquod Ingenium in magis esse numerandum, nisi quod studiis literarum sit aptum, qui quoque Personas publicas Scientiarum incapaces, administratione Reipublicæ interdicunt, (o) sed hæc sententia tantò magis à vero abludit, quantò Viros acuminis exquisitissimi deprehendere liceat, in Literis excellentes, in Cubernatione populi vero minus felices. Cæterum, quum notitia Scientiarum Academicarum, quemvis exornet, non iniquè censent nonnulli, maxime de honestate personas publicas Civiles, quod vel minime in literis sint versati.

*Ingeniū hoc isto præstat; discrimina vite
Reddudent; plura ast repperis Ingenii.*

{o} Euphormio in satir.

P A R.

PARTICULA TERTIA

Exponit

*Causas Varietatis Ingenii ex Secretis
homini Innatis.*

EXcipit res haud minoris
 difficultatis, Indagatio *Causarum* nempe
 harum Ingenii diversitatum, quæ ut
 facilius à nobis percipi queant, omnium
 primò illas ex secretis corpori nostro in-
 natis, investigamus; semitam ad hæc no-
 bis monstrant verba Le grand, superius
 expressa, nim. quod per Ingenium, non
 pura Ratio humana intelligitur, sed ea
 quæ quodammodo corporis dispositione
 regitur. In superioribus etiam pro-
 bavimus, Intellectum Phantasiæ, Poten-
 tiæ corporeæ servitio indigere, ut illi
 phantasmata subministraret; Propterea,
 quum notissima res sit, Hanc pro Consti-
 tutione spirituum & Temperamentorum
 perfici & impediri; conlectarium est in-
 fallibile, etiam Intellectum & ita *totum*
Ingenium, à dispositione temperamenti
 varie inclinari, licet remotè; Corrobo-
 rat hoc idem Piccol. adfirmans: *In homi-*

ne ex phantasia constitutione, ortum ducere propensiones varias, studia varia & Ingenia varia. (b)

§. II. Variæ sunt Diversitatis Ingenii Causæ; *Universalem* & *Primam*, dicimus *DEUM* optimum Maximum esse, à Quo πάν δώρημα καλόν. *Propinquam*, in duplici differentia esse notamus; *Principalis*, anima cujusque hominis est, *Instrumentalem* vero, dispositivam & conditionalem diversitatis Ingenii Causam, *Constitutionem corporis humani* in statu *Conjuncto*, vel verbo *Temperamentum* esse decernimus. Patec igitur Ingenia exquisita, non immediatè à *DEO* in hoc rerum statu formari, sed quum omnia fiant secundum *Ordinem Nature*, à *DEO* in *Creatione* institutum, qui nullius imperfectionis obnoxius est; remanet, Tritum illud Philosophorum, *Natura facit habilem*, (c) certissimum esse, Apostolorum habilitatis Causas, utpote supranaturales, huic negotio non immiscebimus, verum *Temperamentum*, prout

{b} Piccol. de sensibus, int. c. 15. [c] Quintil. in proœmio Lib. 1, instit. Orat. F.

prout *Causa Instrumentalis* est *Ingenii* varii, & omnium operationum in homine, *trutinâ simplici* examinabimus.

§. III. Quo vero de *Tem-*

peramenti *ratione*, certiores evadamus, observandum illud, quatenus *proportionem qualitatum miscibilium* in milto notat: *Primò* sumi eo modo, quo se ad omne *mistum* extendit; *Dehinc*, in quantum *qualitatem corporis Humani*, à *spiritibus subtilissimâ Sangvinis parte*, dependentem designat, quæ *acceptio hujus loci* est. *Temperamentum hominis* ut *aliorum corporum mistorum*, *Accidens* est, *argumento*, quod ex *qualitatibus* oriatur & *sensu* dignoscatur; *Errant* igitur illi qui *substantiam* credunt, est enim *qualitas recipiens* magis & minus; *hallucinantur* etiam illi, qui *Relationem* dicunt, quum nec *contrarietas* nec *intensio* competat *Relationi*; *Tenendum* idcirco, in *Temperamento* *qualitatum remissionem* non fieri nec *amissionem*, sed propter *spirituum*, *qualitatibus excellentibus præditarum*, non solum *Elementarium*, sed & *principiorum*

Chymicorum congregatione variâ, aliud atq; aliud Temperamentum constitui. (d)

§. IV. Constituitur Temperamentum Remotè, ex frigido, calido, humido & sicco, qualitatibus Elementorum; Proximè vero, ex Oleaginoso, Spirituoso, Penetrativo, Sapido & Odorato. Hanc ad sententiam quasi manu ducit nos Cl. Sperl. quando Temperamentum, *Qualitatem misti vel hominis, è miscibilium Spirituum sc. qualitatibus exortam*, definit, *ut illius opera homo suas exerceat operationes.* Ex hoc quum ad oculum pateat, hominem ut & alia corpora mista, non ex Elementorum tantum, verum etiam principiorum Chymicorum atomis constitui; mirum ergo videtur Sperlingium in succedaneis adferere, Temperamenti causas, quatuor solum qualitates esse Elementorum. Manifestissimum est, operationes principiorum Chymicorum, non posse qualitatibus Elementaribus adscribi, siquidem hæc corpora formis & operationibus valdè discrim-

(d) Sperl. Instit. Phys. Lib. 6. cap. 3. Quest. 2.

discriminantur, quum igitur Spiritus agilitatem suam ab aquâ, aut mera terrâ, minimè habeant, quorum corporum nulla operatio talis; sed majori ex parte, suam essentiam & operationes *Principiis Chymicis* debeant; quid igitur oberit, quin heic in Temperamenti Scrutinio, ad principiorum horum qualitates, tanquam *præcipuas & proximas*, adpellare liceat.

§. v. Temperamentum Parti-

tium corporis nostri præcipuarum, infra patebit; *Commune* vero, cui animam Totam respondere dicit Piccol. (f) Utpote in homine diversum, jam expendemus; Sane in nobis hoc diversum est, quum ut cætera animalia simus mista heterogenea, (g) ex diversis particulis, quarum quælibet sua temperie prædita est, conflata. Temperamentum proinde dicitur Aliud ad Pondus, quale vix in mundo reperitur; (h) Aliud ad Justitiam, quod ab æquilibrio discedit & inæquale est; (i) Hoc vicissim dividitur in

Sim-

(f) *Lib. de sede animæ c. 2.* (g) *Le. grand, instit. Philos. part. 8. c. 9.* (h) *Senertus de temper.* (i) *De Raonis Disp. 4. de corporibus mistis.*

Simplex, ubi Una tantum; & Compositum, ubi Duæ pluresve qualitates excedunt; Hoc, ex pluribus humorum & Spirituum qualitatibus in nobis coalescit, utpote *Sanguinis*, *Pituitæ*, *Bilis flavae* & *Bilis atræ*; (k) Quorum respectu diverse humor in Homine à Medicis vocatur *Sanguineus*, qui per arterias & venas fluens; calidæ & humidæ naturæ est. *Pituitosus*, qui frigidâ & humidâ; *Cholericus*, qui calidâ & Siccâ, & denique *Melancholicus*, qui frigidâ & sicca gaudent indole, (l)

§. VI. Hæc ubi de Temperamenti varietate, quatenus diversi Ingenii Causa est, sumus solliciti, nostra intererit, id simplicissime supra recensitis Potentiis ratiocinativis adcommodare; in quantum nim. præcipue instrumentum ~~est~~ Imaginativæ facultatis Organicæ, quæ reliquarum fundamentum est & Causa exemplaris. (m) Initium itaque facimus à *Judicio Primaria facultate*, statuendo illam à siccitate, calore & qualitate pene-

(k) *Le. grand.* (l) *Sperl. Synops. Phys. Lib. 6, cap. 3. Axiom. 2.* (m) *Anthr. c. 3. Quæst. 2.*

penetrativâ, vel verbo Humore *Bilioso*, multum adjuvari; à partibus nostris stat Heraclitus, adlerendo: *Siccitatem reddere animum sapientissimum*. Inter hæc temperamentum Cholericum Intellectui favere probant, miserix & paupertatis jugo pressi, qui ad culmen Sapientix & honoris evecti sunt, tantum mœrore quo sua incommoda prosequuti sunt, optimo Judicio illos donante; afflictio enim exsiccat Carnes & spiritus puros efficit, qui Phantasiâ famulatio Intellectus reddunt aptiorem, & propterea intellectum etiam ad sua munia expeditiorem; Hos eisdem experimur sæpè, quum animo lato & rebus secundis uti cœperint, tantæ eruditionis scripta edere non posse, Gaudium enim Cor relaxat (n) & cerebrum humectat; nimia vero copiâ humoris, homines efficiuntur stupidi. *Signa Cholericæ* sunt: Gracilitas corporis, facies fusca, linguæ volubilitas, capillorum nigrities. Ingenium vero Cholericæ solers est, acutum, inquietum, dolis aptum, iram facile concipit, facile quoque

(n) Hippocr. 6, Epid. part. 5, com. 9.

que deferveſcit ejus furor. De Cholericis dicit nonnemo: *Ingentemq; animum parvo ſub corpore geſtant.*

§. VII. Memoria, ſine qua Intellectus & imaginativa nil diſcurrendo valent, per humidum & oleoſum, quæ qualitates *Temperamentum Phlegmaticum* conſtituunt, reſtauratur; hic humor cerebrum emollit, ut Phantaſmata per viam impreſſionis illi poſſint infigi, Pueritiã ſatis ſuperque id monſtrante; Hãc ætate cerebrum habemus humidiffimum, unde nec alia ſpecierum adprehenſioni aptior eſt. *Signa Phlegmatici* ſunt corpus adipoſum, facies alba, Coma ſpiſſa & prolixa, tuſſis & Oſcitatio quiviviliã oris factas rejiciens; *Hic eſt* Ingenio languente, adeoque nec ſtudiis admodum aptus; Piger eſt, ſomnolentus, Tardus, haud facile efferveſcens, nec fraudes occultas vertans. (o)

§. VIII. Imaginativa, Tertia Potentiarum, à *Temperamento Sanguineo*, majori ex parte perficitur, qualitates

tes

res namque phantasiam promoventes, sunt Spirituosum & Calidum copiosum, in gradu tamen mediocri, dum nempe Calor in secundo gradu, humiditatem secum adducit. Cæterum calor nimius siccitati junctus, Melancholiam biliosam & Phrenesin sibi habent adjunctas. In Phrenesi, Phantasiæ vis valdè se ostendit, percipimus itaque illam præsertim à Calore regi. Impossibile ferè est aliquem valdè acuminosâ Imaginativâ, Intellectu bono simul pollere; nam cerebrum hujus ratione particulas delicatas & subtiles requirit, partes autem istas delicatas Calor nimius consumit, quo pacto nec Memoriam bonam secum patitur. Qui Imaginativâ tranquillâ gaudent, plerumque sunt *sanguinei*; Hi semper vegeto corpore, vultu ruborem præferunt, (p) nec quidquam rei seriæ meditantur, sed in Urbanitates, jocos & dicteria effusi sunt. *Horum Indicia* notantur, Capillus subniger, barba rutila, aspectus elegans, Sanguis sincerus. His optimum Ingenium adolescit, si modicâ tempe-

{p) *Le. grand.*

temperentur bile, & educatione bonâ fruantur; latet sub hoc humore mens agilis, cum venustis moribus & dictione prompta. Si vero *sanguis* hic, nullam habeat admistam choleram, adest inconstantia, nulla modestia, nulla venustas. (g).

§. IX. Restat adhuc Bilis

Atra seu *Humor Melancholicus*, frigiditate & siccitate constans; hic sanguinis fax est, (r) quare Ingenio magis obest quam prodest; Tres sunt humores humanum Ingenium perficientes, in censum eorum, Hic venire non meretur, nisi parte tenus reliquis humoribus sit immixtus, constantiam illis aliqualem concilians. (f) Melancholiæ duo sunt genera: Unum quod consistat Bili Flavâ, de quo supra; Alterum vero Hoc, quod accidit homini vel ex indole naturæ, vel mœtore nimio, vel suppressione profluvii naturæ, vel denique lucubratione intempestiva. *Melancholici Characteres* sunt

(g) *Neubusius Lib. 1. c. 7.* (r) *Esc. maj. c. 7.* (f) *Magir. Anthr. Tract. 2. c. 26.*

sunt, natura difficilis, querula, morosa, suspicax; Hic segnius quidem effervesceat, verum irritato furor senescit, quoniam difficulter placatur, & nunquam non offensæ memor est; præter hæc anxietas in illo est, quæ nulla consolatione levatur.

§. X. Sequuntur potissimum corporis nostri Viscerum Temperamenta inspicienda; Cor partium omnium calidissima est, utpote in quo Calor continuus & intensus, sanguinis adfluxu nutritur. (u) De isto tradit Galenus, quod vivo adhuc animali, non possit digitus vel momento temporis, in sinibus ejus teneri præ æstu. (x) Cerebri Naturale Temperamentum, humidum & frigidum est; Ac licet supra dictum sit, pro ratione Facultatuum Rationalium, siccitatem & calorem in cerebro requiri, sciendum tamen illud intelligi in Gradu remissiori, & quoad cerebrum magis & minus siccum est; Quum autem ex cerebro

(u) Le grand, part. 9. cap. 10. (x) Libro de usu pulsus.

rebro continue fluant humores & ascen-
 dant vapores, partium corporis huma-
 ni humidissimum Illud esse, argumen-
 tamur. Argumentis itaque probatum
 & evictum est, summam concordiam in-
 ter corpus & animam nostram foveri,
 adeoque Temperamentum, quod corpus
 nostrum alterabile & caducum reddit,
 propter artissimam unionem naturalem,
 animum nobis etiam diversum ingene-
 rare; Quapropter denique extra dubi-
 um, ponimus illud Galeni, memoriae
 sempiternae mandandum, sc. *Mores A-
 nima sequuntur Temperamentum Corp-
 ris.* (y)

*Sic nobis Motus diversos, Ingenium-
 que*

*Infundit Varium, Temperies va-
 lida.*

[y) *Lib. de temp. cap. 1.*

SECTIO TERTIA

profert

Succedanea ad Ingenium,
 Causas nim. varietatis ejus, ex secre-
 tis Homini adnatis.

PARTICULA PRIMA

scrutatur

Naturam *Ætatum & Sexuum,*

AD Habitudoem Ingenii
 quæ spectare videbantur leviter te-
 rigimus, simulque ex secretis homini
 Innatis varietatis Ingenii *Causas*, multi-
 plex Temperamentum sc. Corporis Hu-
 mani, exposuimus; Impræsentiarum au-
 tem ex ordine, ventilanda veniunt Se-
 creta Homini adnata, ut sunt *Ætates,*
Sexus, Esculenta, Genius Cæli & Soli pa-
trii, prout secretum illud Innatum al-
 terant & variant. Quum proinde in
 hæc præcipua se obferat contemplatio
Ætatum, prout in illis diversa nascuntur
 Temperamenta, quæ varia homini In-
 genia fingunt; Advertendum itaque, *Æ-*
tatem Humanam esse eam vita. partem,

in quâ ex calidi & humidi mixturâ in corpore, & unius in alterum actione, substantia corporea Temperies, alterationem sensibilem recipit. (a) Ætas Humana haud inconvenienter Comœdiæ comparatur, quæ in suos dividitur Actus, quæ propter etiam distinguitur in Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Ætatem Virilem & Senectutem. (b) Horum actuum quilibet, communiter quindecim complectitur Annos, cum suo Temperamento particulari.

§. 11. Pueritia Temperatu-

ram Calidam & Humidam habet, docet enim Hippocrates, πῦρ μὲν καὶ ὀψία ὑγείων καὶ δευδίων, Puer ex calidis & humidis temperatus est. (c) Pueros admirativos esse refert Plato, atque ideo scientiis aptos, (d) In hâc Ætate ostendere se solent signa quædam futuræ virtutis & vitiorum, quod & in Cyro patebat; haud rarò tamen errant, qui de futuris adfectibus ex Puerorum motibus conjiciunt, grave de-

(a) Le grand. part. 8. c. 9. ante cit (b) Neuhusius Lib. 1. (c) πρὸ δὲ δὲ αἰσ. 1. 5. 28. (d) Lib. VII. de legibus.

bet esse Judicium ad exprimendos an-
 rum futurorum motus, (e) dicunt ta-
 men constantiam puerorum ex Lachry-
 mis prout facile & difficulter cadunt,
 pranosci posse. Est in illa ætate morum
 ineptitudo quadam & animi impoten-
 tia, quapropter etiam mores pueritiæ
 sunt ineptiæ, protervitas, petulantia,
 stoliditas, fontem enim prudentiæ non-
 dum perfectum habent. (f)

§. III. Adolescentia Pueri-

lem inconstantiam sequitur. Hujus Æta-
 ris intervallo, sanguinis & membrorum
 robur Ingenium profus alterant; estq;
 sententiâ Medicorum hæc Ætas neque
 calida, neque frigida, nec humida, ne-
 que sicca, sed *Medium* inter has quali-
 tates tenet. Dicitur hæc Adolescentia,
 eò quod virtutum & vitiorum radices in
 illa videntur adolescere; Veri propter-
 ea non malè comparatur, fructus futu-
 ros ostendenti, (g) *Fervida Adolescen-*
cia est, inquit Seneca, *requirit igitur il-*
la curam, (b) in hâc etiam ætate quodam

E 3

impe-

(e) *Plut. Lib. VIII. LL.* (f) *Euphor. part. 4.* (g)
Cic. de senect. c. 21. (b) *in Octav. v. 437.*

impetu quasi distrahimur ad quæquo studia; virtutes etiam ejus, à discretionè & prudentia prodeunt.

§. IV. **Juventus** Temperamento gaudet *Calido & Sicco*, quum humor aqueus superioribus annis multum absumptus, & oleaginosa particulæ nexu arctiori inter se implicita, calorem intimius imbibant, & spiritus animales fortius retineant. (i) Judicio præceptum est hæc ætas & semper in futura fertur, corpus temperatum minimè habet, unde tam ad opera vitiosa quam virtutis exercitium expedita est. (k) In hæc ætate Homo rebus gerendis aprissimus est, quod & Plato adserit, verbis: Νεῶν δὲ πάντες μεγάλοι καὶ πολλοὶ πόνοι, *Juvenibus magni & multi labores conveniunt.* (l)

§. V. **Ætas Virilis** insequitur hanc, in quâ Homo ad frigiditatis intemperiem recedere quasi incipit, in hac Calor natus & spirituum fervor se remittunt; obtinet hæc etiam *siccitatem* medio-

[i] *Le. grand.* [k] *Neuhuf. Lib. 1.* [l] *Lib. VII. Rep. pub. pag. 706.*

mediocrem, cujus beneficio Anima sapientissima redditur. Veram fortitudinem habet hæc Ætas, castigato juvenili impetu, vis Judicii ejus integra est & solers, valet igitur in hæc illud Platonis: τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ τὸ πρὸς τὴν ἀνδρείαν ἕπεται, ἀρρανωσίον Φασίν. *Quod Magnificum & ad fortitudinem tendit, Virile dicendum.* (m) Laborat Hæc etiam in id, ut se aliquo modo humo attollat, & alios honore superet.

§. VI. Senectæ demum dicitis Ætatibus nec opinis obrepit, Hominemque defessum & malis agitatam, ad humum rursus declinat, Jam corpus frigiditate & Siccitate scetet, unde & homo hujus Ætatis oppidò prudens est; perperam autem Memoria munia exequitur, quam habet similem Chartæ, in quâ literæ qua maximam partem deletæ sunt, illud etenim oleosum quod in pueris Memoriae inservit, jam penitus ferme absumptum est. τὸ γέρας νόσον Φουσιήν, adpellat Aristoteles, (n) hebescunt enim

E 4

nim

(m) Lib. VII. de leg. p. 889. (n) Lib. V. de generatione naturalium cap. 4.

nim. sensus & vires langvescunt in hoc Ætatis curriculo. Eadem adhuc tamen Anima est, ac in Pueritia & reliquis Ætatibus, quippe quæ nullam intra se sentit alterationem, quâ potentia illius debilitarentur; Temperamentum igitur est, quod in Ætatibus regnat, sub directione tamen animæ Rationalis, tanquam principii operationum Quo.

§. VII. Paucis jam Sexus rationem habebimus, quantum autem Hi differant, Ovidius ipse testis est, qui se ex Fœmina Virum factum, cum corporis figurâ, Mores etiam mutasse testatur. (o) Sexum Virilem quodammodo cum suo Temperamento delineavimus modò, addimus tamen plus roboris huic Sexui adtributum esse, quò ad exercitationem extraneam, forenses, atque ad labores belli & pacis perpetiendos, aptior esset. (p) Vir itaq; nominatus est, quod *major in eo Vis sit*, & majus Ingenium, quam in fœmina. (q) Euripides *Ingenium Fœmina-*

(o) Lib. 2. *Amorum*. (p) *Colum. pref. Lib. 12. de re rust.* (q) *Lactant. de opif. Dei c. 12. f.*

minarum expressit per καλὸν κίβδηλον, ma-
 lum fucatum; (r) Cæterum propius ad
 illarum descriptionem accessit Plato, qui
 dixit: *Fœmina in omnibus imbecillior Vi-
 ris est.* (s) Plurimis itaq; propter hanc
 imbecillitatem notantur vitiis Fœminæ;
 Horum primarium est Ingenii Hebetu-
 do, tanta enim illis est mentis Tarditas,
 ut apud veteres dubitatum sit, an ad
 humanitatis sortem debeant admitti. (t)
 Nos autem à tam immani censura rece-
 dentes, dicimus *frigiditatem & humidi-
 tatem*, qualitates in fœminis exuberantes,
 omnem ferè vim Ingenii illis auferre;
 licet paucissimæ earum sint, quæ fun-
 ctioni & cogitationi alicui magnæ ido-
 neæ sunt.

§. VIII. Ut autem hæc fœ-

minarum indoles planius cognoscatur,
 sciendum duas in Homine partes San-
 guinis reperiri, *Una* pars, sanguis ruber
 est, notatque illum activum & calidum;

E s

alte-

(r) In Hippolyto, V. 616. (s) Lib. V. de republ. p.
 654. (t) Livius Lib. 34, c. 2.

Alteram partem constituit Lympha, Quæ frigida est. (u) Quum proinde constet, fœminas majori ex parte naturâ pingves esse, prætereaque Sangvinem non purum, sed partem ejus Lymphaticam, passivam & frigidiorē nos obesos reddere; nil ambigendum igitur, quin Mulieres omnes, non tamen adeo habito respectu ad magis & minus, *frigida & humida* sint *Nature*; unde originem trahit quarundam Somnolentia, naturæ impotentia, stupiditas, inertia, ignavia, *Ingenii Torpor*. Quod ad dispositionem *partium cerebrâ* in muliere, notanda illa talis, ut hanc sapientiæ alicujus & Ingenii compotem non reddat, quare quum malus Spiritus humano generi insultaret, in consilio habuit naturam Evæ, sciens illam non adeo ac Adam scientiæ participem factam, quin tamen illa perfectâ integritate gauderet, nihil obstat.

S. IX. Præter hæc numerantur Ingenia nonnullarū Fœminarū *Garrula &*

(u) *Exper. Doct. Med. Braun, in Coll. priv. Anatom.*

Et & Levia, nulla namq; illis in oculis fides est, simul enim & semel risum & Lachrymas in promptu habent; & si credere lubet, habent istæ garrulitatem in præsidium sui, hæc autem illarum arma, quæ Nicetas vocat maledicta. (x) *Iracundia* denique illis immanis adeo est, ut oratione comprehendi nequeat. Ab horum vitiorum classe, removemus Virtutem muliebrem, *Virtuosa* nim. *Ingenia* muliebria, quæ passim in scripturis S. & profanis reperiuntur descripta; præcipua in Sacris numerantur Exempla, *Sabe Regina*, Quæ suæ sapientiæ specimen edidit in aula Salomonis, *Sara*, *Rebecca*, *Hanna*. &c.

Sic Ætas præcepit Humorem in corpore mutat;

Illam sed regit Hic, vertit & Ingenia.

[x] Lib. 4. Manuali. Coment. S. 5.

PARTICULA SECUNDA

persequitur

Esculentorum *rationem*.

Subsequitur jam considera-
tio Temperamenti, quatenus *Fluens*
vocatur, & prout ciborum temperamen-
to vario varium efficitur, ad procuran-
dam Ingenii diversitatem. Eadem ratio
est Cibi & Corporis ac corporis & A-
nimæ, quia sicut anima ob valetu-
dinem corporis, alacriter munus su-
um obit, ob ejus morbum vero langve-
scit, ita & corpori accidit; quoniam si
Cibus, *corporis futura*, (*) sumptus fue-
rit bonus, Spiritus limpidi, subtilia ani-
mæ instrumenta ad sensationem & quem-
vis motum ex illo generantur; si vero
iste crassus & nutritioni minus aptus, cras-
si inde oriuntur spiritus, qui œcono-
miam animaleam & Ingenium hominis
malè adficiunt; fieri quippe aliter nequit,
quin ea sit conditio Temperamenti, ac Ci-
bi est; quum id quod comeditur, ut adstru-
it Epicætetus, *concoquatur, digeratur in cor-
pus*

(*) *Basilii Orat. II. in Noëmum.*

pus, unde nervi, carnes, sanguis, ossa generantur, color bonus efflorescit & spiritus sustentantur. (b)

§. II. Cæterum quo melius generatio spirituum ex Cibis comprehenditur, processum divisionis Ciborum in spiritus, describere annitamur; Separatio Ciborum fit vel *Extra nos*, dum in Culina variè præparatur; vel *Intra nos*, ubi species Concoctionum Dux, Chylificatio nempe & Sanguificatio, nobis advertenda. (c) Prior duas sub se complectitur Ciborum divisiones; Una in Stomacho peragitur, ubi cibus per fermentum dissolvitur & in chylum rudem mutatur. Altera in intestinis tenuibus absolvitur, ut in intestino duodeno cœperat; pervadenti enim Chylo *πυλωρὸν*, & in intestinum illud crassum demisso, accedit aliquid bilis è capsulâ biliarâ, ut chylus quandam sortiatur acridinem, & melius à stercore discernatur; Hic chylus in intestina tenuia ad ulteriorem præparationem fluit, unde trans-

(b) Lib. 2. Dissert. Arrian. c. 9. (b) Magiv. Antbr. Tract. 2. c. 13.

transmittitur ad venas lacteas, (d) quas tam prioris quam posterioris modi penetrat, donec per Promptuarium chyli & ductum Thoracicum chyliferum, ad Venam axillarem sinistram se confert, ubi rubram sibi induit formam. (e)

§. III. Sangvificatio, secunda concoctionis species, divisiones etiam duas includit. Prior in corde terminatur, Chylus enim sanguinis naturam assumens, per venam cavam ad Cor, quæ Officina sanguinis est (f) manat; primo vero cadit in ejus dextri sinus auriculam, quæ pro medimno est, præcavens ne Sanguis tanto cum impetu ruens, ventriculum istum obruat; unde per arteriam pulmonalem ad Pulmones pergit, & rursus frigore aeris per respirationem attracti temperatus, per arteriam venosam in sinistrum cordis sinum per auriculam labitur; ejusque calore fortior redditus per Arteriam magnam in Habitum Corporis evehitur, quo ipso per truncum ascendentem ad Cerebrum

per-

(d) Le grand. (e) supra nominatus Doct in Col-
leg. (f) Mag. Ansthr, Tract. 2. c. 19.

perfertur, ubi per *Ultimam divisionem* vel concoctionem, ad usum sensuum, motuum &c. in Spiritus Animales dividitur. In Priori divisione Sangvificationis hujus, tria generantur excrementorum genera à segregatione sanguinis, *Primum Gravius*, facci simile, humor melancholicus vocatur; *Alterum Levius* aëreum & flori simile, qui humor biliosus est. *Tertium aqueum, Oleosum & serosum*, quod humor Phlegmaticus nuncupatur. (g)

§. IV. Modo generationis spirituum monstrato, notamus proximè eandem esse rationem spirituum ac ventorum in mari, quia! quemadmodum hî motu fluctus concitant, ita Spirituum vis in homine vehementer animum jactat, & ad varios adfectus, ut iracundiam, cupiditates, &c. clavo Rationis sapenumero spreto, pellit. Ex allatis etiam patet, Cibi succum esse spirituum seminarium, condacibile igitur est Cibus sumi bonum, cupedias tamen & de-

(g) *Lib. jam cit, Tract. 2. c. 13.*

delicias studioso literarum non præscri-
bimus, condimenta enim nihil aliud
sunt, quam adpetitus irritamenta & ven-
tris fastidium. (b) *Venter parvo dimitti-*
tur, docet Seneca, (i) copiâ vero Ci-
borum animi subtilitas impeditur. Ca-
vendum igitur ne venter immodico sa-
burretur alimento, impedit enim cate-
roquin hæc res concoctionem stomachi.
Eadem ratio est immoderatæ potationis,
Vinum moderatè sumptum vires suppe-
ditat & animos lætitiâ perfundit, immo-
dica vero ejus ingluvies, moribus pro-
tervitatem inducit, adfectus quoque ad
libidinem & reliqua ejusmodi deducit;
ad summam, Ingenium totum obtundit;
posteaque quando mens, fama, fortuna,
poculis sunt exhausta, frustra de suis mi-
seriis conqueritur ille bibax.

§. V. Tria refert Hippo-
crates, quibus constitutio corporis no-
stri imbecillis redditur; sunt illa; *Semel*
tantum die Cibum sumere, duriter cuba-
re

(b) *Nicetas lib. IV. de vita manuali, com. p. 150.*
(i) *Epist. 15. p.*

re & nudum ambulare. Percommoda est pensitatio moniti hujus, in negotio conservandi Ingenii; Studioso nihil magis nocivum est ac ventris debilitas, studia quippe & Curæ corpora exsiccant & melancholix tradunt, opus igitur omninò est stomachum corroborari. Secundæ Cautioni Causam adjungit Galenus, dicendo, corpus curis confectum in duro loco somnum capere non posse, verum potius ibi se volutando calorem amittere. Somnum definit Plinius, *Animi in medium sese recessum*, (k) argumento, quod in somno Spiritus interiores corporis partes occupent, exterioribus frigefactis; quemadmodum in vigilia ad omnes corporis motus concurrunt, partes exteriores calefaciendo. Tertium, præsertim in his regionibus frigidis, experienciâ nobis obesse constat.

*Temperiem placidam, Cerebri justamq;
figuram,
Ingenii nostri proprietas flagitat.*

(k) Lib. X. Hist. nat. cap. ult.

PARTICULA TERTIA

ostendit

Genium Locorum.

HOc ad negotium, ansam nobis præcipuè præbent verba Generos, Puffendorff, quibus instruimur; *Voluntati singularem quandam vergentiam conciliare peculiarem ingenii dispositionem, quâ ad certum Genus actionis quidam proclives redduntur; Quam non tantum in singulis hominibus, sed etiam integris in nationibus deprehendi, dicit; Causam subnectens; Eam inquit, producere videtur, Cœli nos ambientis Solique Genius, Humoribus in corporibus Temperatura, ex ipso semine, Ætate, Victu, valetudine, Studiorum ratione, similibusque Causis proventiens.* (a) Ad ductum normæ hujus in Causis varietatis Ingenii indagandis, huc usque processimus; reliquum igitur est, ut Natalis Cœli & Soli indolem, quâ ejusdem indolis humanæ diversæ causa est, obiter explicemus,

§. II.

(a) *de Officio Hom. & Civis lib. 1. c. 1.*

§. II. Ad Soli Patrii natu-

ram, Ingenia hominum formari perhibet Plutarchus, dicens: *Alios aliis ex ipsa Locorum varietate meliores effici, quos propterea legibus contrariis moderari necesse est.* Præter hoc Experientia quotidiana, Nationum diversarum Ingenia diversa, luculenter ad manum ponit; *Quasdam* enim insolentioribus gestibus, *Quasdam* Ingenii solertiâ, *Quasdam* simulatione insidiosâ, *Quasdam* aperto Pectore, *Quasdam* etiam rusticitate, Inclytos esse novimus. Ut autem pilces in Mari Salsedinis speciem referunt, ita quælibet Natio, habitum Patrii Soli sibi ingeneratum, nisi magnâ exercitatione & diuturnitate temporis eradictur, impetu quodam ostendit. Hæc ex occasione *Patrii Soli* quinque Conditiones observabimus. (c)

§. III. Prima Conditio est re-

gionum Feracium, quæ incolas efficiunt molles, superciliosos, effœminatos & luxuriosos, ad omnia tamen humanos; neq;

F 2

enim

(c) *Matth. Berneggerus Quæst. in Tac. 147.*

enim est ejusdem Terræ fructum egregium producere & viros in rebellicâ præstantes, inquit Bodinus. (d) Crebras etiam legimus Historias, quæ tradunt ob loci opulentiam, Incolas ad luxum effusos & pessundatos esse. 2. da *Sterilium Lecorum* est, quorum incolæ ab omni luxuria abhorrent, inopis Soli damna industriâ & virtute compensantibus; oppidò multos Arida Patria docuit sobrietatem & virtutem bellicam; Sic Gothi olim Normanni & Longobardi vocati, (e) in retorridâ tellure Patria ad animositatem obfirmati, Europam ferè omnem subegerunt.

§. IV. Tertia Regionum est

Montuosarum, quæ homines asperis & inhumanis Ingeniis gignunt, Hi sunt validi & ad arma capienda expediti, ad labores etiam ferendos obdurati, Hi etiã ob venationem ferarum contemptores sanguinis sui redduntur, atque propterea hostes non metuunt; Ut Helvetica Gens &c. 4. ta est *Regionum Maritimarum*, quæ Ingenia reddunt immitia & rapacia, sæpe

(d) de republ. Lib. 5. c. 5. (e) Lex. Hoffmanni.

pe tamēn Illa' domat societas peregrinationis &c. Quinta Conditio deniq; *Regionum est Palustrium*, quæ Incolas alie Ingeniis obtusis; Hi ad artes licitas & illicitas pari animo feruntur. Quod vero adtinet ad Ingenii stuporem, inducit illum uligo in Regionibus istis fumans, Cerebrum madore obfundendo. (f)

§. V. Jam Rationem habebimus Cœli Patrii, prout diversis Zonis *Calidâ, Frigidis & Temperatis* distinguitur. Zonæ Torridæ Adcolas Ingenio abundare, adeoque omnium Artium Capaces esse, referunt Historici; Hi artium Liberalium præcepta; primò condiderunt & posteris tradiderunt. Exempla Ingeniorum Australium in Ægyptiis habemus, qui olim literis Clarissimi fuerunt, unde & Ægyptus, *magna Mater Scientiarum* vocitatur. (g) Australes ad luxum & quævis vitia propendere nullus negat, qui intemperantiam Babyloniorum, Ægyptiorum delicias, Sodomitarum libidinem &c. in Historiis memoratas recordatur. De Zonarum Frigidarum Ad-

F 3

colis,

(f) *Neub. Lib. 1. cap. 16.* (g) *Macrobius.*

colis, & iis præcipue qui sub axem Septentrionis vivunt, fertur apud Historicos, quod minus Judicio valeant; Galenus adserit eos Intellectu plane destitutos esse, Causam dicit Aristoteles nimiam copiam humoris & caloris, quæ ob Aëris ambientis Frigiditatem, intra Cerebrum manere cogitur, quæ Judicium illis impedit, Memoriam autem & Imaginativam bonam illis subjicit. (b)

§. VI. *Zonæ Temperatæ Septentrionalis*, & quidem *Europæ*, partis ejus potissimæ, habitudinem Cœli, prout diversa & optima producit Ingenia, non de inutili foret exprimere, ast quum prolixitas in hisce nobis sit vitanda, paucissimis dictum esto; *Regiones Europæ* quæ ad Austrum prospectant, præcipuas esse *Hispaniam* & *Italiam*, quibus *Germania*, *Anglia* & *Gallia* addi possunt, quæ omnes Viros Ingenii Exquisitissimi fovent; *Græcia* vero quondam Musarum Palatium, jam Barbarie repleta est. Præcipua *Regionum Europæ* versus Septentrionem *Scandinavia* salutatur, quæ ab

anti-

antiquis *Vagina Gentium* (i) nuncupata, intra suos limites Patriam quoque Nostram dulcissimam complectitur; placet igitur de Cœli & Soli, Incolarumque istius Indole, paucis differere.

§. VII. In Scandinavia Cœli

temperamentum non adeo gelidum & asperum est, ut incolis tam fera & immitia Ingenia imbuere possit, ceu creditum est Olim, in parte namque ejus australiori, fere idem Cœli haustus est ac in *Germania*; Versus Boream vero, ut & in hâc nostra Patria, Cœlum interdum asperum est, Incolæ tamen ideo stupidi non existunt; *Solum* etiam si confitendum sit, in parte Finniæ septentrionali adeo fertile frugum est, ut dubitem an in *Germania* passim, ubi optimè excultum *Solum* est, fertilius expectari possit. Quî vero fiat, quod Scandia tota in præsentî Cultior & fertilior sit ac olim, dum Historici scriptores illam, præsertim autem Patriam hanc nostram deformarunt, ratio sequens reddi potest; Quod in toto Orbe Antiquis

F 4

omnia

(i) *Jordandes.*

omnia fere sint contraria, docente id
 experientiâ; hujus iterum causam *Unam*,
 in Fato & æterna Dei Providentia po-
 nimus, quâ fit ut omnium aliarum Re-
 rum Humanarum vicissitudo est, ita quo-
 que Regiones olim incultæ, jam omni-
 modo efflorescant; Quod autem *deinde*
 pertinet ad cultum & fertilitatem Scan-
 dinaviæ, dicimus eam evenisse post syl-
 varum excisionem, quarum densitas to-
 tam fere *Norvegiam, Sveciam & Finni-*
am longè latèque occupavit; hæ Sylvæ
 obsteterunt quo minus radii Solis vivifi-
 ci terras has fœcundas & imprægnatas
 reddere possent; accedente simulac A-
 griculturæ studio solerti, quam Svecanâ
 & Finnicâ lingvâ loquentes, non tam
 bene priscis Temporibus calluisse fertur;
 prætereaque *Finnonibus*, ob Lucem Evan-
 gelii, per Divinam Clementiam huc ad-
 ductam, & ob Colonias à quibus Oræ
 Regionis hujus maritimæ incoluntur, &
 Svecia advectas, Ingeniis mitioribus im-
 butis, Mitior etiam & Cultior universa
 Terra Scandica reddita est.

§. VIII. Haud facile dici potest, quam sagaci & memorioso Ingenio præditi sunt Scandinavienses, Turba proletaria maturius expectatione adripit ea, quæ traduntur, præter id quod ex Soli hujus Indigenis Viri Excellentissimi adsint, quæ Subtilitati Mentis Literatorum in gentibus Australioribus Europæ parum aut nihil cedunt; adeoque si Historici, qui mores Patriæ nostræ priscos & inconditos describere jam in vivis essent, Conditionem Regionis Scandinaviæ totius, potissimum autem Finniæ valdè mirarentur. Quæ deniq; Scandinavia Regio Temperata sit, quid oberit, quin Incolæ heic tam Ingenio valeant, ac in reliquis Regionibus Europæ australioribus, quæ nunquam vacuæ sunt uliginibus nocivis quoad aëra, quibus Ingenia vel animos magis quam spiritu puro frigido, infestari constat.

§. IX. Populos Australes certum est, ob abundantiam Bilis Atræ, mæstitiam, caliditatem, odia, fraudes, sibi habere instillatas; *Borealibus* autem *Populis*, copia Sanguinis hilaritatem indu-

cit, qui Aeris frigidi adtractione defæcatis-
 simus redditur; Hinc & vires validas,
 & Mentem fraudium expertem, circum-
 ferunt Scandinavienses; qui omnium
 præter hæc deliciarum Australium rudes
 sunt, In hac gente quippe, Plebs grega-
 ria, solidam & fumo induratum carnem,
 piscem salsum, Panem filigineum &
 Pultes ex farinâ præ deliciis amat; pro
 Potu Cerevisiam Hordeaceam crassi li-
 quoris bibit; Quod alimenti genus Tur-
 bæ hujus membris *robur & audaciam*
 animo subpeditat, quæ non rarò totam
 perculit Europam.

§. X. Hæc Pauca de Cœlo
 & Solo Patrio, vel Situ Locorum adferre
 libuit, inter quæ nonnulla de *Siderum*
influxibus, qui Cœlo natali cognati sunt,
 oporteret adponi; Verum quum Argu-
 mentum hoc latè patens, cuncta quæ
 respiciunt, adhibere prohibeat paginarum
 angustia, finem itaque huic exercitio
 imponere non dubito. Quemvis Lecto-
 rem Candidum officiosa mente rogans,
 dignetur hanc tenuitatem in bonas acci-
 pere partes, & si quæ non adeo limatè,
 ac

ac Argumentum hoc altæ indaginis re-
 quirat, adhibita sint, quæso velit id o-
 mne istius Subtilitati reddere. Cæterum
 qui omnia corrodere, *Mome*, dente pa-
 ras aspero, fac ne nimis lycophanteris;
Regna transcurrere non velle scies vi-
 lius hoc opusculum, quum in Tuguriis
 proletariis æquè bene valeat.
 sit Clausula:

Diversis quot sunt Spaciis terra Pere-
grina

Ingenia, & quotquot Vox varians di-
rimit;

Mentis Consiliis Magna, Regnantis in
Ævum,

Artificisque sui, summa canant De-
cora !!!



The Argument is: The first part of the
 world, which is the first part of the
 world, is the first part of the world.
 The second part of the world, which is
 the second part of the world, is the
 second part of the world. The third
 part of the world, which is the third
 part of the world, is the third part
 of the world. The fourth part of the
 world, which is the fourth part of the
 world, is the fourth part of the world.
 The fifth part of the world, which is
 the fifth part of the world, is the
 fifth part of the world. The sixth
 part of the world, which is the sixth
 part of the world, is the sixth part
 of the world. The seventh part of the
 world, which is the seventh part of the
 world, is the seventh part of the
 world. The eighth part of the world,
 which is the eighth part of the world,
 is the eighth part of the world. The
 ninth part of the world, which is the
 ninth part of the world, is the ninth
 part of the world. The tenth part of
 the world, which is the tenth part of
 the world, is the tenth part of the
 world.

